

PHARMACOPŒIA

CASTRENSIS

RUTHENA.

PETROPOLI
In Typographia Medica.
MDCCCVIII.

PHARMACOPOEIA

CASTRENSIS

RUTHENA.

AUCTORE

JACOBO WYLIE.

AUGUSTO OMNIUM

RUSSIARUM IMPERATORI

a consiliis Status actualibus, S. M. Archi-Chiriatro, Medicinae et Chirurgiae Doctore, summo rerum medicarum in universo exercitu Inspectore Consilii medici membro, Ordinis S. Wladimiri tertiae classis Equite etc.

PETROPOLI

IN TYPOGRAPHIA MEDICA.

MDCCCVIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EXCELLENTISSIMO

ac

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

ALEXIO ANDREADI

COMITI

de

ARAKTSCHEJEW,

SENATORI,

INTIMI IMPERIALIS CONSILII MEMBRO,

REI MILITARIS ADMINISTRO,

COLLEGII MILITARIS MEMBRO

PRIMARIO,

PEDITATUS SUMMO INSPECTORI,

REI TORMENTARIAE PRAEFECTO,

ORDINUM: S. ALEXANDRI NEVENSIS,

S. ANNAE PRIMAE CLASSIS EQUITI, S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI COMMENDATORI,

etc.

VIRO DE PATRIA, EJUSQUE IN PRIMIS

MILITARI RE, MERITISSIMO,

LEVIDENSES HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Si non artium modo; sed cunctarum rerum humanarum emolumentum, ex fine, ad quem earum quaeque dirigitur aestimandum est, dubitari omnino haud potest, tanto plus bonae frugis, labores tuendae militum valetudini impensos polliceri, quanto ardentioribus votis, incolumitas exercituum, nullo non tempore exoptata, procurataque fuerit, quantoque probi viri, quibus haec provincia demandata est, finibus suis satisfecerint cumulatius. Inter plurima adminicula, huc facientia, non postremum tenet locum, Castrensis Pharmacopoeia, ad quam Medico-chirurgi, si bene olim, et honorifice in arte, quam profitentur, versari, sibique et aliis vere prodesse velint, velut normam, et regulam, curationes suas dirigere queant. Edun-

dae apud nos ejusdem, jam dudum animadverti coepit necessitas, provinciaque vi muneris mei, elaborandae a me fuisset suscepta, ni continuis fere bellis, aliisque ut gravibus, ita permolestis occupationibus, quibus impliciti fuimus, res haec intra voluntatem solum stetisset. Impraesentiarum requiescens tantisper, ut arduum, ita perutilem, hunc laborem AUGUSTI jussu missa cunctatione, subeundum duxi, eoque, qua potui, celeritate, utcunque perfunctus sum. Pharmacopoeia nostra, in duas diducitur partes. Pharmacologia, seu materia medica, priori continetur, simplices medicinas complexa, iis indicatas nominibus, quibus insignitae sunt ab optimis historiae naturalis scriptoribus, qua in re, opera Linnaei, maximae mihi fuere auctoritatis. Descriptiones earundem curatius adornare placuit,

ut praesto esset, velut enchyridion quoddam, quo Medico-chirurgi, per vastissimum orbis terraquei Imperium, dispersi, in locis a Metropoli longe dissitis, deficientibus bibliopoliis, uti queant, idque servato sequenti ordine: primo loco posita est Linnaeana, cujusvis medicamenti, denominatio, vel eorum, qui hujus summi praeceptoris, studium aemulati sunt, a me, loco officinalium hucusque usitatorum, adoptata, hanc excipit antiquata medicaminum eorundem nomenclatio, et vernacula; classium, et ordinum, quum Linnaei, tum naturalium, ad quae referuntur, mentione subjuncta, cum indicatione durationis plantae, solique natalis. Characteres sensus potissimum ferientes saporis, odoris, principiaque activa, in quibus medicamentosa plantae virtus praecipue residet, ut illa nobis chemica analy-

sis pandit, persecutus sum, quo facilius virtus et usus a me descripta, enucleari queant. Hinc inde alimentarias quoque res interserui, quippe quae basin efficiunt, qua maximam partem nititur valetudo, cujusque cognitio non est supervacua, ubi de diaeta, vel laborantium morbis, vel ex iisdem convalescentium, quaestio est. Neque irrefragabilia indicia bonitatis, fraudulenti mangonii, aut illicitae substitutionis, ubi e re fore existimavi, neglectui habui.

Pars posterior praeparata chemico-pharmaceutica, aut methodum eadem parandi, ut etiam ex his et simplicibus composita comprehendit. In hac, illa artificia, quae recentiorum chemicorum solers industria ad medicamina certioris efficaciae paranda detexit, neutiquam praetervidi; in eo autem non ulti-

ma cura versabatur, ut medicamina haec talia essent, quae perfacile parari a quovis possent, neque raritate, aut caritate sua expetentium desideria, nostramque frustrarentur intentionem, ideo parsimoniae gratia, praeposui ubique fere indigena, modico pretio venalia, easdem facultates habentia, exoticis; quorum etiam succedanea, hinc inde, notavi. Composita iis solis nominibus definita sunt, quae jam apud luculentissimos hujus aetatis scriptores invaluerunt, ad scientiae usus adcommodatissimis. Ad evitandam nempe titulorum verbositatem, denominationem a praecipuis tantum partibus mutuatus sum, unde vires et usus eorundem pendent, verbo compositionum in omnibus is servatus est modus, ut ab aliarum gentium recentioribus Pharmacopoeis Ruthena haec, quantum quidem fie-

ri potuit, non recedat, curaeque mihi in primis fuit, ut formulae, huic fundamini innixae, sint tam numerosae, ut publicae necessitati respondeant, suaque puritate, quam salutifera ars cum reliquis saeculi praesentis communem habet, se commendent. Doses in omnibus notatae sunt, ut in re tanti momenti exercentibus salutiferam artem omne abesset errandi periculum; in designandis vero iisdem, placuit interdum a primis puerorum aetatulis, ad maturissimum robur, indicare praebia. Neque vero est, quod mihi unus, et item alter, hinc reclamet, illinc insusurret; quid vero tandem Clinico opus est nomenclaturae recentioris, quam pro mineralibus praeparatisque chemico-pharmaceuticis lubens adoptavi, cognitione? malui nempe, (licet non immemor sim, non facile mutari pos-

se, quae semel inculcata sunt) cum praejudicatis luctari opinionibus, atque in offensam obstrigillatorum incurrere, mordicus ea, quae longa consuetudine perceperunt, tenentium, quam inconditam terminorum barbariem, quae apud nos invaluit, atque multorum animis tam pervicaciter insidet, retinere; non enim temere quemquam in scientiarum adyta admissum, fugere potest, nil in vita humana adeo noxium censeri debere, quam tironum mentes his imbui, quae operae pretium fuerit aliquando dediscere, et quidem multo majori opera, quam ea, quae recta sunt, vel a primis rudimentis, addiscere. Nomenclaturae recentioris, omnino philosophicae, tum elegantiam et pulchritudinem, quum utilitatem, atque adeo usum ejus apprime necessarium esse, nemo non, etiam, me tacente, perspicere potest,

et quum proximis annis, non modo strenuissimos nacta sit vindices, et propugnatores; sed etiam ab Edinensibus, non ingenio magis, quam industria spectabilibus, recepta sit, nullus dubitavi laudabilibus his insistere vestigiis; commendabilior enim mihi visa est, praecisa lingua, ratioque, qua medicinarum denominatio, potius a partium constituentium natura, quam virtute medicamentosa peteretur. Quae in nominibus, tum in rebus ipsis adhuc novari expediet, id posteris relinquo, quos spero, pro ratione incrementorum, quae medicina ars, chymicaque, procedenti tempore capiet, e scientiae progressibus optime profecturos.

Quum ars salutifera, hoc tempore, in diversas, easque plurimum inter sese dissentientes sectas diducta sit, singula aestimatione justa

metiri, in diversum abeuntia inter se conciliare, veraque a falsis ubique discernere proclivius est dictu, quam factu. Nullam ulli ratiocinationi, utcunque speciosae, cui experientia refragatur, fidem adhiberi posse, et antiquissimum est monitum, et recentioribus non improbatum, satius proinde duxi, nonnulla a veteribus non male prolata, atque etiam ad patrum fere nostrorum memoriam, non sat bene intellecta, ad incudem rationis, et experientiae vocare, atque, quae mihi meliora videbantur, consulere, quam memet ephemeris evanidisque novatorum theoriis mancipare.

Optimi cujusque ex priscis illis, sapientiae *) consultis praecepta cum novis accessionibus probatis, arctissima colligatione devinciendo,

*) Primo medendi scientia sapientiæ pars habebatur. Celsus.

pro ingenii mei parvitate, proposui. Nullus dubito quin aliquam contraxisse culpam videbor, quod saeculo antiquitatis fastidioso, a veterum placitis immensùm discrepante; novitatis vero omnis cupidissimo, illi quoque (antiquitati) non malae praeceptrici, nonnulla, magis pro veritate, quam novitate militans, censuerim tribuenda, neque reformido animi acerbitatem, quam forsitan proditurі sunt obstrigillatores; tantum enim abest, ut censoria eorundem virgula, ad indicendas simultates accendar, ut potius, si quid meliora edocto utilitatis capere liceat, submissis disciplinae fascibus (mitiora enim nobis Deus pectora inspiravit) eorum animadversionibus, perlubenti corde atque animo, utar, gratusque nomen, per quos profecerim, enunciaturus sim. Si quis me ideo arguendum existimarit, quod

in vario plerarumque medicinarum usu designando, plures quandoque morbos, quam qui locum sibi adsignatum tueri queant, adduxerim, laudatis remediis vix medicabiles, eum ad luculentos scriptores, ad quorum auctoritatem provocandum duxi, causam suam tutaturos, relego; vix enim, arbitratu meo, aliunde necessaria de virtutibus eorundem certitudo aptius petitur, quam ex adversariis Clinicorum, non minus artis experientia, quam doctrina celebrium.

Perspicuitatis potissimam rationem ducere conatus sum, etsi non negarim, quaedam reperiri vocabula artis propria, quae aliquid habeant obscuritatis; ast haec apud recentissimos quoque scriptores medicos, ut Ploucquetum etc: inveniuntur. Nonnulla antecessorum nostrorum credulitate intrusa recidi, plurima no-

va, vel propria experientia, vel attestationibus magnae existimationis virorum probata, in hanc recepi pharmacopoeiam, qua in re, si nimis diligens fuisse videbor, excusatius a me peccatum putabo, quam si parum; satius enim duximus, copia premi, quam penuria. Omnium antiquatorum, apud nos hucusque usitatorum, ut et recentiorum, tum nostrorum, quum in pharmacopoeis ceterarum gentium, puta Edinburgensi, Londinensi, Borussica, etc: a capite ad calcem libelli hujus repertitiorum, amplum adnexui indicem, ne neoterice dicta, difficilia intellectu, negotium quaeritantibus facesserent, in primis tironibus, et Medico-chirurgis militaribus, quorum in primis commoditati, utilitatique consultum volui. Duo catalogi ad calcem operis indicant medicaminum praestitutorum quantitatem,

vel e pharmaceuticis caesareis officinis promendorum, vel a praefectura militari comparandorum.

Si acerrimorum, tum ingeniorum, quum latinitatis aestimatorum, teretes aures, atque Latii sermonis suavitate religiosas permulcere non potuerim, diligentioremque purioris linguae cultum neglexerim, (quod equidem lubens illis concessero) vel hinc inde mendas, quae inter continua jugiter avocamenta irrepsere, non evitaverim, (id quod evenire potuisse non negarim) hos admonitos velim, atque etiam obnixe oro, ut memores sint, ea nos conditione natos esse, ut ob rerum humanarum, quam, et in me sentio, imbecillitatem, nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. Ad postremum ipse ultro, lubensque confiteor communem mihi in omnibus plausum, neutiquam compe-

tere quemadmodum nec eundem captare unquam laboravi, id duntaxat in lucro adponam, si quando constiterit, me in plerisque haud poenitendam collocasse operam. Id nempe volebam, quidquid a me praestitum est, in gratiam Medico-chirurgorum esse susceptum, qui quam, ut his utantur recte, et hinc capiant fructus, nil mihi optatius est, non mediocre relaturo pretium, si haec conamina, nullo impensius merito, quam intemerato reipublicae studio, commendabilia, in generis humani emolumentum, in conflictantium salutem, et salutiferae artis qualecunque apud nos incrementum cesserint.

PONDERA ET MENSURAE PHARMACEUTICAE.

Pondera in pharmaceuticis Ruthenorum officinis usitata a castrensibus quoque Pharmacopœis observantur, eorumque hæc est ratio:

Granum (gr. j.) pondere granum piperis æquat.

Scrupulus (℈j.) grana viginti continet.

Drachma (ʒj.) scrupulos tres habet.

Uncia (℥j.) drachmas octo recipit.

Libra medicinali (℔j) pondus unciarum duodecim continetur.

Bilibra, duplum præcedentis habet.

Semis (β) est medietas alicujus ponderis, ut selibra (℔β), semuncia (℥β), semidrachma (ʒβ), bilibra cum semisse (℔ijβ).

Sesqui est totum, et dimidium, ut sesquilibra (℔jβ), sescuncia (℥jβ).

TABULA

RATIONEM PONDERUM SISTENS.

	Libra.	Selibra.	Uncia	Semuncia	Drachma.	Semidrachma.	Scrupulus.	Scrupulus semis	Granum.
Granum	.	.	.	.	.	.	.	.	1
Scrupulus semis . .	.	.	.	.	.	.	.	1	10
Scrupulus	.	.	.	.	.	.	1	2	20
Semidrachma	.	.	.	.	.	1	1 $\frac{1}{2}$	3	30
Drachma	.	.	.	.	1	2	3	6	60
Semuncia	.	.	.	1	4	8	12	24	240
Uncia	.	.	1	2	8	16	24	48	480
Selibra	.	1	6	12	48	96	144	288	2880
Libra	1	2	12	24	96	192	288	576	5760

Hæc pondera liquidorum portionibus æque, ac solidorum determinandis inserviunt. Pro liquidis quidem, et in primis aquosis mensurandis vasa adhibeantur idonea, quæ ita facta sint, ut libra, et uncia, pondere respondeant, libræ medicæ divisionibus.

Mensuræ pro medicaminibus siccis; præsertim vero herbis, hucusque apud nos usitatæ, sunt sequentes:

Fasciculus est moles, quæ brachio complicato capitur, manipulos, præter propter, duodecim æquiparans, selibræ æqualis pondere. Alii, fasciculi nomine, unciam pondere intelligunt.

Manipulus est moles, quam manu complecti possumus, pugillis quatuor, vel semunciæ æquivalens.

Pugillus est moles, quæ pollice, et duobus digitis capi potest, cum drachma æquiparabilis.

Ast hæ mensuræ sunt omnino vagæ, ut proinde satius sit, sicca æque ac liquida, pondere potius, quam mensura præscribere, ita quidem, ut loco cyathi unciæ duæ,

loco cochlearis semuncia,
..... pintæ unciæ sedecim,
..... mensuræ libræ quatuor, etc.
aptius sumi queant.

TABULA,

remediorum præbia, cuivis ætati convenientia, indicans, supposito, quod drachma cujuslibet medicinæ sufficiat adulto, cujus ætas a vigesimo primo sexagesimum haud excessit annum.

Aetas.	*Dosis in genere sumta* ʒ. j.	*Dosis relata ad aetatem.*
7 Hebdomad.	.... $\frac{1}{15}$	.. gr. iv.
7 Mensium.	.... $\frac{1}{12}$	.. gr. v.
14	.... $\frac{1}{8}$	.. gr. vijß.
28	.... $\frac{1}{5}$	.. gr. xij.
$3\frac{1}{2}$ Annorum.	.... $\frac{1}{4}$	.. gr. xv.
5	.... $\frac{1}{3}$	...... ℈j.
7	.... $\frac{1}{2}$	...... ʒß
14	.... $\frac{2}{3}$	...... ℈ij.
21 Annorum.	Dosis integra	...... ʒj.
63	.... $\frac{11}{12}$	.. gr. Lv.
77	.... $\frac{5}{6}$	.... ℈ijß.
100	.... $\frac{4}{6}$	...... ℈ij.

NB. Animadversione dignum est, sexaginta guttas aquae, 100 Alcoholis diluti, vel 120 Alcoholis, drachmae mensurae, aequiparabiles esse.

M O N I T A.

Solum natale vegetabilium notandum est; constat enim aromaticas odoriferasque plantas, e siccis eminentibusque locis, radiisque solaribus expositis, legendas esse, ita Valerianae sylvestris radix natales imo solo udoque debens. est fere cassa virtute, et monticolae merito postponitur.

Sylvestres etiam plantæ domesticis præferuntur, ita Cichorium Intybus, Daucus, etc. exceptis tamen plantis, quas experiundo didicimus plus odoris, efficaciæque cultura mutuari, ut id in plerisque omnibus labiatis plantis, aut didynamia gymnospermia Linnæi, observare licet, puta de Mentha, Salvia off. etc.

Jure etiam, haud raro, præponuntur partes recentium plantarum, aridis exhaustisque, quod in primis de his intellectum volumus, quarum activa principia e saponaceis partibus coalescunt, ut in Cichorio Intybo, Leont: Taraxaco, etc. Huc spectant cumprimis cruciferæ, et ad tetradynamiam pertinentes, ut est Sisymbrium Nasturtium, etc: Colligi eas oper-

tet coelo sudo, et sereno, tellure videlicet, sole jam orto, neutiquam rorescente. Radices annuarum plantarum, legendæ sunt accedente efflorescentia proxime; biennes vero, et perennes, verno, vel urgente necessitate, autumnali tempore. Hoc autumni tempore caules resecandi sunt, quippe qui tunc efficaciori succo praediti sunt. Ligna ineunte vere scindenda sunt. Herbae antequam flores explicuerint; folia vero postquam emiserint flores; sed ante istorum maturitatem colligantur. Flores nuper expansi decerpantur, antequam antherarum pollinem exploserint, simulac radii solis rorem dissiparint. Semina denique, ubi pericarpia aridiora, maturescentia jam sese explicare incipiunt, vel quum eadem, præsertim nuda, sponte, vel saltem leviter tecta secedunt, lecta, loco ab aere perflato, sine ignis adminiculo, siccentur; capsulas, involucra, etc. retinentia, his munita serventur. Delectus eorumdem, ita habendus est, ut aquæ supernatantia rejiciantur; fundum vero petentia, iterum siccentur.

Baccæ nisi maturæ, non avellantur.

Sedulo autem enitendum est, ut herbæ, et folia colligantur, dum virent, et antequam emarcuerint, aut arida, ubi odoraria sunt, odore gaudeant sibi proprio; folia vero plantarum mucosarum legantur juniora succulenta. Ligneæ radices, antequam exsiccentur, lignea parte priventur, quæve crassæ, succulentæque erunt, in segmenta scindantur. Omnia hæc, æstivo tempore, radiis solaribus, exponantur, donec siccabuntur, quo periculum fermentationis, et marcescentiæ vitare queant; calor tamen immoderatus alienus est. Flores pene omnes siccandi, conservandique sunt absque eorum calicibus, exceptis aromaticis, et classis didynamiæ gymnospermiæ, quorum medicamentosa virtus, in calicibus continetur. Semina succulenta, atque oleo abundantia, debent esse recentia, nequaquam rancida, et bene nutrita; farinacea autem arida, integra, etiam rite nutrita esse debent, nec corticem habere levem, fragilem, perfacile divisibilem. Continentia essentiale oleum sint recentia, plena; insipida vero, et inodora, vacua rejiciantur.

In universum non vegetabilium solum, sed et animalium partes, præsertim indigenæ in aridis conserventur locis, suis quæque bene clausis receptaculis, præsertim vitreis, quoad maximam partem, si fieri possit, ne aut mucore, aut teredine lædantur. Aromate autem, et principio acri volatili præditæ, non arido solum loco; sed, et frigido servandæ in vasis plerumque, pro aromatis quantitate, vel alterius principii, hermetice clausis.

HERBARUM ET FLORUM EXSICCATIO.

Herbæ et flores vel hypocausti, vel communis foci, leni calore, siccentur, quantitate, qua id perfacile fieri queat; nam ita vires earumdem aptissime servantur, cujus indicium color est nativus, quam perfectissime constans; Conii vero maculati folia, et alia subtili materie volatili referta post exsiccationem illico conterantur, et vasis vitreis rite obturandis reponantur.

Simplicium medicamentorum, et facultatum, quae in eis insunt, cognitio, ita necessaria est, ut sine ea nemo rite medicari queat. Oribasius.

Omnes boni medici ad ea remedia semper confugient (sive modus, quo prosunt intellectus fuerit, nec ne?) quae certa experientia prodesse comprobaverit, et ab iis abstinebunt, quae eadem experientia, nocere, aut nil prodesse, ostenderit. Tantum enim prodest scientia medica, quantum ad bona remedia bonamque curationem perducat, neque profecto, aut leges philosophandi, aut quidem sensus communis, sinunt fidem adhibere ulli ratiocinationi, utcunque speciosae, cui experientia adversatur.

GREGORY Consp. Medic. theoret.

PARS PRIMA

PHARMACOLOGIA.

NB. Прежде приступленія къ чтенію Фармакопеи благоволятъ со вниманіемъ просмотрѣть опечатки и исправить какъ ниже означено.

Pag.	ERRATA.	LEGENDA.
1	accomodatissimum . .	accommodatissimun
17	paeecipue	praecipue
27	Absynthium	Absinthium.
32	Ipecacuanhae . . .	Ipecacuanha.
49	Buttlero	Buttero
96	adscedendo	ascendendo
110	sal.	sal
125	nasolida	na solida
126	Laryx, Larycis . .	larix, laricis
—	Olemu	Oleum
147	Sassaparillae	Sarsaparillae
156	poliriquesc se . . .	polirique se
—	ponderosa, ...	ponderosa
179	retorda	retorta
183	ncsmo	cnesmo
184	drachmas	uncias.
202	aetherius	aethereus
207	sub-carbonati . . .	Sub - carbonatis
223	sat	sat.
227	deciman	quintam — lin. 22.
234	althaeae	althaea
236	aquaes	aquae
253	fixus	fixus;
262	auxillio	auxilio
274 - 319	utriusquae	utriusque
278	Calcis.	Calcis
287	putestcenti	putescenti
306	lenimem	lenimen
311	Carbonatis	Sub - carbonatis
317	seminuum	seminum
319	Hydrargyry	Hydrargyri
322	amenuorrhoea . . .	amenorrhoea
350	Murias.	Murias
356	subsiderint	subsederint
391	Alcohci	Alcohol
430	1 Mortaria	2 Mortaria
(Ubique)	Polygamia superflua .	Superflua.
— —	Europea	Europaea

PHARMACOLOGIA.

ACIDUM ACETICUM DILUTUM IMPURUM.

Acetum crudum. Acetum commune. Acetum vini. Уксусъ.

Acidum aceticum impurum ex quovis vinoso liquore fermentationi acetosæ subjecto, calore (65 ad 75 Fahrenh.) apto, parari potest. Dum sincerum est, debet esse limpidum, purum, gustatu et odore gratum, tantæque aciditatis, ut duæ unciæ ad saturandam perfecte Subcarbonatis Potassæ drachmam sufficiant; quod majori quam quadragesima sui parte alcalinis saturatur salibus, pro effoeto inertique habetur aceto. Congelatione et destillatione cum pulvere carbonum obtinetur ex acido acetico impuro, purius et decolor acidum, quod saporis acidi, grati, odoris refocillantis merito præfertur illi, multas aqueas particulas, et extractivum principium continenti, usuique medico maxime idoneum est, atque inter omnia acida organismo animali accomodatissimum.

Est in genere stimulans lene remedium, quod perinde, ut est ejus quantitas, prout acrius aut dilutius fit, plus minus cum aliis corporibus permistum mutantur ejus effectus; aliquando etiam prorsus contrarii sunt; nec qualitati ejusdem adstringenti terminos aliter præscribere licet quam hac observata regula: quo dilutius aut tenuius est, aquæ aut similis liquoris mistura, eo magis refrigerans et debilitans fieri acetum, e contrario quanto magis illud concentratur et compingitur, tanto magis calefaciens reddi, atque adstringens. Effectus proinde ex ratione intensitatis ejusdem majoris vel minoris, caloris, auxiliarium partium ut e. gr. aromaticarum, æstimatur; pro horum modo excitat sudorem, interdum alvum liquat, rarius lotium movet; adstringendi atque pronitati in putredinem, ut usu cognitum est, resistendi vim habet; præterea in contenta aqualiculi imo et in ipsos humores chemice agit; cibis additum, stomacho aptum est; usu tamen ejus continuo et immodico ineptus devenit is ad ullam eduliorum portionem digerendam aut retinendam. In omnibus fere febribus in-

flammatoriis præscripsere illud antiquiores: in synocha cum vel sine topica inflammatione, ut etiam in reliquis sthenicis morborum formis, est omnino aptum medicamen, quatenus propinatum dilutius processui vegetationis officit, sthenicum statum deprimit, atque totum debilitat organismum, ventriculo (diutius in usum tractum) insidias struendo. Febribus asthenicis minoris gradus, calore, sitique stipatis, si potui detur, non obest, præcipue si stimulantia eidem, pro ratione debilitatis, adcommoda fuerint adjuncta; in plerisque casibus, ubi propensio humorum in putrefactionem et corruptelam oboritur, ut in febribus vulgo putridis dictis, aliisque huc spectantibus morborum formis, ut scorbuto etc. utile est, et chemice agendo adinstar cæterorum acidorum, si fortius detur, corruptelæ huic adversatur, adjutum præsertim excitantibus pepticis, nutrientibus adminiculis. In febribus biliosis, accumulatis in intestinis et ventriculo rancidis et bili corrupta, quæ illico penitus evacuari nequeunt, nullum citius ea superat, atque indolem eorum commutat, quam acetum, ut minime mirum sit car-

dialgiam, choleram, tenesmum, CELSUS, singultum, GALENUS, medelam ab hoc accipere posse, existimari, idemque adstringentibus alvum medicamentis ab antiquis adnumerari solere, HIPPOCRATES; — ast et in febribus biliosis ratio habenda debilitatis, irritantibus pro re nata aliisque congruis curandæ. Contra lumbricos, ut CELSO placet, adhiberi posse vix crediderim. Nullum adeo universale alexipharmacon contra venena laudant antiquiores ac acetum, præcipue contra papaveris somniferi, conii maculati succum, atque aspidis et canis rabidi morsum, et similia, DIOSCORIDES. Si aceto gargarizetur, tollitur valida illa ex atropa belladonna contractio; (Ephemerid. german.) in peste quoque effectus ejus insignes celebrarunt omnes, qui eadem correptis id exhibuerunt, SENNERTUS. *Extrinsecus* quoque pro diverso caloris gradu aliisque additamentis agit varie.

Exhalationum aceti usus, adhuc apud medicos perstat; imprimis vero concentratum acetum ad refocillandos defectione animi, asphyxiaque laborantes aptum; epithemata ex impuro aceto, et calida et

frigida superdantur, præsertim frigida ad imminuendam ad caput sanguinis congestionem, aliasque partes, ad avertendam sub initio inflammationem; cephalalgiæ ita admotum, lenimen præstat, hæmorrhagiam narium sistit, uti etiam magni æstimatur a prægnantibus mulieribus dum metrorrhagiæ metuunt; sic ad mortis metas lochiorum nimio fluxu perductis, eas involvere linteis oxycrato madefactis celebre Chapmanni remedium fuit; fomenta calida cum alcohole diluto, aromaticis herbis, camphora etc. in putridis sic dictis febribus, pectori, abdomini, extremis partibus imposita valent. Nec in contusionibus, ecchymomate, imo etiam in frigidis tumoribus etc. irrita. Clystere etiam injecto subterdatur in typho, dysenteria asthenica, obstipatione, herniis incarceratis, aut ascaridibus rectum intestinum occupantibus. In Pituitosis glandularum mucosarum oesophagi et amygdalarum infarctionibus, gargarisma præstans est acetum, paulum dilutum, sic etiam in angina asthenica, stomacace, aphthis; vis synapismorum adjecto eodem, intenditur.

Dum de acido acetico diluto nobis sermo est, acetum destillatum; quum vero de impuro, tum acetum vini in sequentibus intelligimus.

Praep. *Acet. camphorat. — scillites. — Acid. acetic. dilut. — Oxymel etc.* ingreditur quoque *Acetat. plumbi crystall. — Cataplasmata: acetat. — Conii m. ammoniat. — Nicotianae T. Synapinum acre et mite. — Clyst. acetat. — Fomenta: aluminos. — vulnerar. aliaque. — Gargarismata varia. — Haust. acid. carbonic. evolv. — Mist. nitrat. potass. — Mist. subcarbonat. potass. — Serum lact. acetos. — Solut. acet. plumbi — Solut. acet. ammon. acetatam.* etc.

ACIDUM ARSENICOSUM.

Oxydum Arsenici album. Hyperoxidum Arsenici. Arsenicum album. Мышьякъ.

Dum sublimando paratur, massam scoriformem, albam, subpellucidam compactam refert; tempore vero opacam. Carbonibus inspersum, adinstar fumi avolat, odoreque Allii s. se prodit. Cæterum inodorum, *Saporis* vero dulciculi, dein acriculi, inflammantis tandem.

Us. Mineralium venenorum est valentissimum, nec nisi cautissime adhibitum ad-

versus febres intermittentes commendabile; epilepsiæ quoque, pertussi, anginæ pectoris et melancholiæ opponitur; in Indiis orientalibus adversus hydrophobiam cum successu exhibebatur. In morbis cutaneis refractariolis, ut herpetibus etc. cum sulphure sublimato in carcinomate externe, et interne, THILENIUS, RAENNOW, etc.

Antidota ejusdem sunt: olea, lac, solutio HAHNEMANNI saponacea, quæ partem saponis et quatuor partes aquæ habet, atque tepefacta, tertio vel quarto quoque minuto, sumitur.

Acetum quoque recte opponitur eidem; Hydro-sulphuretum vero Potassæ vel sodae, quum tardius agat, minus aptum; attamen commendabile.

Dos. Pro usu interno, aqua plus vel minus pro re nata diluenda, ab una decimaquarta parte grani, gradatim augendo ad septimam usque ejusdem partem.

PRAEP. *Solut. acid. arsenic. et Nitrat. potass. — Solut. arsenit. potass.*

ACHILLEA MILLEFOLIUM.

Тысячелистникъ, Гулявица, Деревей.
Folia, summitates florentes.

Cl. Syngenes. O. Polygam. superfl. O. N. Compositæ radiatæ. Perennis, in locis siccioribus et ad vias passim occurrens.

Qual. In volatili oleo, et extractivo amaro residens. *Sapor* herbæ, subadstringens, nonnihil amarus, subaromaticus.

V. Leviter stimulans, stomachica.

Us. In sanguinis profluviis, ut hæmoptysi, hæmorrhoidali fluxu nimio, Stahl; hæmorrhagia uteri, Thomas; profluvio sanguinis per anum e nixu cacaturientis nimio; in phthisi pulmonali; succus quoque in internis ulceribus, Chomelio placet. Non sunt tacito prætereundæ Stahlii laudes, quas plantæ huic in curatione hypochondriaci mali adstruit, subscribentibus dein Hoffmanno, Heistero, Iunkero aliisque.

Extrinsecus admota, pro vulneraria habetur. Commista cum aromaticis fomentis, vulnera et ulcera curat.

In compositionem Specierum turionum Pini compositarum intrat.

ACONITUM NEOMONTANUM WILDENOW, (perperam sub nomine A. NAPELLI a STOERCKIO introductum) Прострѣльная трава, Борецъ, Преградъ, Аюшикъ. Folia, Herba.

CL. Polyandr; O. Trigyn. O. N. Multisiliq. Perennis pl. in australibus Rutheni imperii provinciis obvia.

QUAL. Ejus venenifera, acri principio contenta, ipso *Odore* nauseoso fortique, et acri *Sapore* cognitu perfacilis.

V. Stimulans, sudorem lotiumque movens, narcotica.

US. Rheumatalgia chronica; arthrodynia, syphilis, et inprimis exostoses; psora; herpes; scrofulæ; spina ventosa; amaurosis; ulcera, quæ cacoëthe vocant, obstinata; scirrhomata; anchyloses; mania; febres intermittentes, et inprimis quartanæ, contra Cinchonam off. immorigeræ; morbi convulsivi etc.

DOS. Pulveris, granum ad duo.— Succi spissati granum, sesquigranum, ad duo grana bis, ter, vel pro re nata pluries de die, vel additis singulo Aconiti grano, decem granis Sacchari, vel forma pilularum.

Planta recens, radixque ejusdem incaute sumpta debilitatem, paralysin artuum, motus faciei convulsivos, vomitiones biliosas, catharsin, vertiginem, insaniam, asphyxiam, et tandem ineluctabile fatum post se trahit.

Succus ejusdem ad extracti spissitudinem densatus, anno vetustior, sensim vires suas perdit ita, ut inertiæ merito redarguatur; regula proinde esto, hanc plantam, ubi recens est, et succum ejusdem spissatum, caute, nec nisi, ut dictum est, minoribus dosibus præscribi debere sensim sensimque ad auctiores transeundo.

Praep. *Succus herbae recentis junioris (vulgo extractum) spissatus, incluruit.*

ACORUS CALAMUS.

Calamus aromaticus. Касатикъ. Иръ. Radix. (geniculata, spongiosa, crassitie pollicari, extus rubens, intus alba).

Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Piperit. Perennis, in Russia australi spontanea.

Qual. *Saporem* præ se fert aromaticum, acriculum, subamarum; *Odorem* dissecta fragrantem.

V. Præstans: stimulans; peptica; antiseptica.

Us. Morbi asthenici: cacostomacha indigestio; fastidium cibi; scorbutus; stomacace (marcescentium gingivarum vitium), et id genus alia; — Pro succedaneo cæterorum majoris dispendii aromaticorum merito habetur.

Dos. Pulveris radicis scrupulum — drachma cum saccharo ter, vel pluries de die, vel aliis medicinis subsidiariam opem præstat.

Praep. *Infusum radic* — *Tinct. ejusdem.* — ingreditur quoque *Pulv. aromat.* — *Pulv. supersulphat. Alum. et Potass.* — *species Turionum Pini comp.* — *Tinct. Cinchonae comp.* — *Tinct. Gentianae comp.*

ADEPS OVIS ARIETIS.

Sevum ovile, S. vervecinum. Баранье сало.

Pinguedo solida, ex omento atque adiposis capsulis, præsertim renalibus, et lumbaribus animalium horum eliquata.

Adhibetur ad usus *externos*; ast communius ad paranda unguenta, linimenta, emplastra, etc. Huic, si rarius est, aut majoris dispendii, sebum bovis recte sub-

stituitur, aut plerumque adeps Suis Scrofæ.

ALLIUM CEPA.

Radix recens, ejusque succus. Лукъ.

Cl. Hexand. O. Monogyn. O. N. Liliaceæ. Biennis, colitur crebro in hortis.

Qual. Recentis: *Odor* peculiaris alliaceus dictus, volatilis. Radix recens, dissecta vapores lacrymas excientes spargit. *Sapor* acriculus, subdulcis.

V. Stimulans; pituitam, sudorem, lotiumque movens; rubefaciens; aphrodisiaca; radicis coctæ: emolliens; pus maturans; assatæ: stimulans.

Us. Præter cibarium, hydropicis, asciticis, imo calculosis profuisse perhibetur. Eduliis addita in coërcendo scorbuto valens. Succus radicum expressus ad aliquot uncias cum tantillo sacchari mistus in retentione lotii profuit.

Externe difficultati auditus, otalgiæ rheumaticæ, sonitui aurium gossypio exceptus aurique inditus, medetur. — Radix, forma cataplasmatis in pulpam cocta et cum emollientibus regioni vesicæ superdata, retentioni vesicæ profuit. Nec in bu-

bonibus, varicibus ani, cataplasma e cepe, sua laude orbandum.

ALLIUM SATIVUM.

Allium. Radix recens, ejusque succus. Чеснокъ.

Cl. et O. Præcedentis. Perennis; colitur in hortis frequentissime.

Qual. In acri principio paucoque volatili oleo residens. *Odor* specificus ingratus, penetralis, volatilis ita, ut sponte in majori quoque oeco diffundatur; *Sapor* acer, subcausticus.

V. Præstans: stimulans; pituitam, sudorem, lotiumque movens; anthelminthica; pus maturans; rubefaciens; antiscorbutica; vesicans.

Us. Radicis, vel succi, *internus*: hydropisis; tænia solium Lin.; lumbrici; dyspepsia; asthma pituitosum; febres quartanæ; — In tussi catharrhali sine febre, Allium lacti incoctum ad libram mane et vesperi potui datum, teste Murray, profuit. Est inter exempla Allium S. pestilentiæ oppositum fuisse, imo calculosis quoque subvenisse. *Extrinsecus*: succus, herpetibus, clavis, auditui gravi proficuus,

haud secus ac contusa radix, et cum suilla adipe imposita, verrucas extirpare fertur; cataplasma ex eadem variolas atonicas confluentes retrogradas teste Sydenhamo revocavit, nec minus profuit pubi admotum in retentione lotii a paralysi urocystidis orta.

Praep. *Pilulae Allii sativi*; succus etiam *clysteri aloëtico* jungitur.

ALOE PERFOLIATA.

Aloë Socotorina. Сабуръ. Succus extractivo-resinosus spissatus.

Cl. Hexandria. O. Monogyn. O. N. Liliac. Perennis Indiæ orientalis Africæque incola. Quoniam succus incisione foliorum, in Socotora, oceani orientalis insula, obtentus, cæteris bonitate præstat; ideo Aloë Socotorina in medicum usum merito præfertur, præsertim, quæ splendens, pellucida, et nigro rubea est, comminutaque colorem ex aureo fulvum exhibet.

Qual. Præstans: in extractivo; non vero, ut quidam falso opinantur, resinoso, sita principio. *Saporis* amaro nauseosi; *Odoris* submyrrhini.

V. Peptica, calefaciens, carthartico-anthelminthica, menagoga, in vasa præcipue haemorrhoidalia agens.

Us. Alvus adstricta habitualis, hæmorrhoides suppressæ, amenorrhoea, etc. iis præsertim, qui sedentariam agunt vitam, imbecillo laborant stomacho, laxiorisque corporis habitus sunt, adcommodatus. Non minimo quoque præconio dignus est, quod *extrinsecus*, ulceribus atonicis, putescentibus, cariei, otorrhoeæ admotus, aut epiphoræ, (grano oculis inflato), opituletur.

Dos. Succi spissati: grana duo, tria, ad decem, vel simpliciter per se, vel pro re nata cum catharticis aliis, ex. gr. sapone, rheo p. vel cum aromaticis, vel cum amaris, vel emmenagogis junctus, ut ferro, gummi-resina Myrrhæ aptius, vel in solutione in alcohole, vel in pilulis.

Praep. *Clyst: aloëticus* — *Pilulae Aloës et F: Asae foetidae.* — *Pil. aloëticae* — *Tinct. Rhei et Aloës* — in compositione quoque *pilulur: Rhei* est.

ALTHÆA OFFICINALIS.

Просвирнякъ. Radix, Herba.

Cl. Monadel. O. Polyandr. O. N. Columnaceæ.

Planta perennis, in solo humido crescens.

Qual. Mucilaginosa, insipida.

V. Emolliens, demulcens.

Us. Multiplex ejus: pro *interno* usu propinatæ efficacia in raucitate, tussi, pleuritide, nephritide calculosa, diarrhoea, dysenteria, tenesmo, stranguria, blenorrhoea etc. emicat.

Extrinsecus: per modum clysteris, vel cataplasmatis: tenesmus, phlegmone, in ophthalmiis siccis, vel illacrymatione acri stipatis, decoctura juvat; gargarismata emollientia intrat.

Praep. *Decoctura et Species ejusdem compositae.*

AMOMUM CARDAMOMUM.

Cardamomum minus. Fructus triquetri, utrinque acuminati, longitudine semipollicari, pericarpio fragili ex luteo subfusco, et seminibus aromaticis nigricantibus instructi, vulgo Semina. Кардамомъ.

Cl. Monandr. O. Monogyn. O. N. Scitamineæ. Indiam orientalem incolens.

Qual. In volatili pæecipue oleo residens. *Sapor* acris, aromaticus; *Odor* fragrans, acceptus.

V. Stimulans, calefaciens.

Us. Debilitas ventriculi; dyspepsia; chlorosis; fructus masticati foetentem animam reddunt gratiorem.

Dos. Pulveris grana quinque ad scrupulum.

Massam pil. scillin: et Pulv. aromaticum intrat.

AMOMUM ZINGIBER.

Zingiber. Radix (tuberosa, articulata, compressa, rugosa ponderosa, extus ex albo cinerea, intus alba) Инбирь.

Cl. et O. præcedentis. Perennis Indiæ orientalis, et insulæ Madagascar.

Qual. Præstantissima, atque cel. Neumanno probante, in extráctivo et resinoso principio; non vero, ut quidam volunt, in volatili oleo residens. *Sapor* masticatæ radicis peracer, os fervoris sensu afficiens. *Odor* aromaticus, non ingratus quidem; ast nares ita lacessens, ut pul-

visculo in superficie separabili, sternutamenta provocari queant.

V. Stimulans, pepticarum auxiliaria; stomacho maxime idonea; salivam movens neque sic, ut cætera aromata excalfaciens, ejusque effectus sunt durabiliores.

Us. Ventriculus languefactus, non concoquens cibos; tussis stomachica, titillatoria; imo pro colico quoque (in colica, flatulenta vulgo dicta) habetur medicamine. *Externe*: uvulæ e pituita nimis prolongatæ justa sedes et magnitudo A. Zingiberis pulvere per manubrium cochlearis admoto, vel Zingibere cum Supersulphate Aluminæ et Potassæ adhibito, restituitur.

Praep. *Syrupus ejusdem*, et ad parandum *Acid. sulphur. aromatic.* — *Infus. Gentianæ l. comp.* — *Pil. scillin.* — *Pulv. aromat.* — *Tinct. Rhei amar.* etc. adhibetur.

AMYRIS KATAF.

Gummi-resina, *olibanum*, seu *Thus*, Ладанъ, dicta, Foerskal teste. Alii thus ex Junipero lycia provenire existimant, alii ex utroque.

Us. Leucorrhoea, item ad suffimenta.

Dos. Semidrachma, drachma.

Praep. *Pulvis pro suffimento.*

ANETHUM FOENICULUM.

Foeniculum. Semina (oblonga, striata, pallida). Волоской укропъ.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellat. Biennis, vel perennis hortensis.

Qual. Valens: in volatili oleo, non acri residens, *Odor* subaromaticus, teter; *sapor* aromaticus, dulcescens.

V. Carminativa, resolvens, pectoralis, lacti augendo par.

Us. Ventriculi debilitati succurrit; inflationes levat; lactis defectui obest; colicos infantum dolores mitigat etc.

Dos. Seminum pulveris, a scrupulo ad drachmam. Pro infuso, ut quibusdam placet, drachmæ duæ, semuncia, in aquæ libra. — Aquæ foeniculi: unciæ tres. — Olei ejusdem: guttæ duæ ad quinque.

Praep. *Oleum.* — *Aqua destill.* — et ad parandum *Inf. fol. C. Sennae.*

ANGELICA ARCHANGELICA.

Angelica sativa. Radix (fibrosa, capite oblongo crasso, extus ex flavo rubens, in superficiebus segmentorum transversorum alba, maculis numerosis flavis, oleo æthereo repletis, punctata). Folia, Semina.

Дягиль.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ.

Planta biennis, et interdum perennis, crescens plerumque in alpibus.

Qual. In oleo volatili residens. *Odor* fragrans; *Sapor* aromaticus, acris, calefaciens.

V. Ad consuetam aromaticorum referenda: stimulans; tonica; sudifica; sialagoga. — Herbæ: antiseptica, secundum experimenta Pringleana.

Us. Norwegi radicem in panem recipiunt. In morbis asthenicis, stimulo egentibus, locum habet: in debilitate ventriculi; inflatione et dependente hinc colica; paralyticis adfectibus; menstruorum obstructione; typho, etc. Alexipharmaci quoque nomen tulit; quin ipsi pesti subigendæ par habita.

Dos. Radix, (plus aromatis continens), in pulvere a scrupulo ad drachmam in aromatica quapiam aqua, vel in chronicis morbis per modum electuarii, vel drachmæ duæ Angelicæ A. cum totidem Valerianæ off. vel Acori Calami, in octo unciis bullientis aquæ infusæ, addito Aethere sulphurico, syrupo, et id genus aliis.

Aequivalet Dorsteniæ contrayervæ, et valerianæ off. iisque apte substituitur, utpote carioris pretii; ab Angelica sylvestri minus efficaci, cui dolose subrogatur interdum, probe distinguenda. — Sylvestris nempe, in locis nascitur humidis, habetque flores rubellos, cum altera, virescentibus floribus gaudeat, ejusque radix sit admodum tenax, multoque fragrantior, exhibeatque copiose puncta flava, transversim secta.

Praep. *Inf. radicis* — in *Decoct. Cinchonae off.* adhibetur.

ANTHEMIS NOBILIS.

Chamomilla romana. Римская Ромашка. Flores.

Cl. Syngenes: O. Polygam: superfl. O. N. compositæ radiatæ. Planta annua in tota Russia hortensis.

Qual. Egregia: in volatili oleo, et extractivo amaro sita. *Odor* suaveolens; *Sapor* amarus.

V. Antispasmodica; stomacho apta.

Us. Hyperæsthesia; malum hypochondriacum, hystericum; colica spasmodica ab inflatione; febres intermittentes.

Praep. *Pulv: ejusdem cum cort. Quercus. R.*

ARCTIUM LAPPA.

Bardana. Radix, Semen. Репѣйникъ, Лапушникъ.

Cl. Syngenes: O. Polygamia æqual. O. N. Compositæ capitatæ. Biennis in locis incultis, maceriisque ubivis perfrequens.

Qual. Radicis: *Sapor* dulciculus, subamarus, austerulus; *Odor* nauseosus. — Seminum, *Sapor* valde amarus; lotium decolorans.

V. Radicis: sudorem, lochia, urinamque movens; blande resolvens.

Us. Rheumatalgia. Lochiis movendis, non esse interdum imparem, puerperarum usus evicit. Haud desunt, qui eidem antiveneream tribuant vim; imo semina calculosis profuisse, est inter exempla. Folia viridia genuum tumores dissipasse do-

lores carcinomatis, podagrasque pacasse, perhibentur. Succus eorundem valentior, HUFFLAND. Multi eandem Smilaci Sarsaparillæ præferunt, ast immerito.

PRAEP. *Decoct. radicis, et Species guajac. comp.*

ARGENTUM. Сepeбpo.

Argentum nativum. LIN. CL. II. Mineræ, Metalla. Est metallum indigenum, album, auro levius, ductile, via sicca oxygenium respuens, in acido nitrico solubile, oxydatum cum acido muriatico connubium indissolubile, contrahens. — Rubiginem vero, nisi nitroso tangatur acido non contrahit.

US. Mechanicus ad quædam instrumenta chirurgica, catheterismo præsertim, et cavo oris destinata; pro parando quoque *Nitrate argenti fuso*, adhibetur.

ARISTOLOCHIA SERPENTARIA.

Serpentaria virginiana. Виргинскій змѣевникъ.

Radix fibrosa, ex viridi lutescens, fibris tenuissimis, inter se tricatis. Cl. Gynandr. O. Hexandr. O. N. Sarmentosæ. Perennis, virginiana.

Qual. Præstans: in oleo præcipue essentiali residens. *Odor* fragrans, camphoratus, Valerianam off: redolens; gratior tamen. *Sapor* aromaticus, acris, amaricans.

V. Excitans volatilis, Camphoræ non dispar; constantia tamen eandem superans; sudifica; diuretica.

Us. Morbi asthenici et in primis typhus cum impotentia reagendi; febres intermittentes, ut adjutrix Cinchonæ, præsertim, ubi movendorum sudorum ratio habenda, propulsat; asthenicæ pneumoniæ, exanthematibus atonicis, retrogradis, anginæ atonicæ, gangrænosæ, gargarizando et ipsi gangrænæ adcommoda. Morsuræ serpentum, præsertim venenatissimi Boiciningæ, Dale; masticandō plantam, succum deglutiendo, foliaque contusa vulneri admovendo, Geoffroy, idonea.

Dos. Pulveris radicis forma aptior a scrupulo ad semidrachmam; forma quoque infusi commodissima, in vino vel in aqua.

Decocta, ut usu cognitum est, virtute sua prorsus orbatur; Camphoræ vel Cinchonæ subsidiariam, non sine emolumento, fert opem.

Praep. *Infus*: *radicis.* — *Decoct*: *Cinchonae off*: etiam additur.

ARNICA MONTANA.

Arnica. Flores (sine calice) Herba, Radix. Баранья трава.

Cl. Syng. O Polyg. superfl. O. N. Compositæ radiatæ. Perennis in frigidioribus germinans alpibus, apricisque locis pratensibus.

Qual. Egregia. *Sapor* aromaticus, acris cum amaritie; trita, odorem aromaticum, virosum spargit, utpote peculiari principio acri nixa, paulum olei ætherei, plus resinæ continens.

V. Excitans, resolvens, menagoga, errhina etc.

Us. In omnibus febribus incitabilitate imminuta stipatis, additis pro ratione im-

becillitatis, plus vel minus, volatilibus stimulis; in rheumatalgia; paralysi et ischuria paralytica; amenorrhoea; in malo hysterico et adfectionibus spasmodicis asthenicis; diarrhoea, et dysenteria asthenica; in amavrosi. Pro anthelmintico quoque a quibusdam habetur. *Extrinsecus*: contusiones; suffusiones; cacoëthes; sphacelus.

Dos. Pulveris est a tribus ad decem grana; sed hæc minus commoda. Aptius in infuso a duabus drachmis, semuncia, ad octo uncias aquæ; vel infusi florum in sacculo suspensorum, drachma, duæ, tres ad libram aquæ dantur, idque fit in connubio Valerianæ off. A. Calami etc. non inepte, vel decoctioni Cinchonæ ad finem Arnica adjicitur. Additamenta stimulantia volatilia ut Aetheris sulphurici, vel ejusdem alcoholisati, vel tincturæ Opii, ad singulum præbium, sunt quandoque necessaria. — Permagni interest flores caute adhiberi; haud raro enim vomitiones provocasse, anxietates, tormina, hæmorrhagias, vertigines etc. excitasse perhibentur. — His ubi eveniunt, acetum occurrit efficaciter. — Radix, quum facilius vo-

mitiones cieat quam flores, ubi in pulverem tenuata est a quinque ad decem grana administratur.

Praep. *Infus. florum.* — et compositionem *Spec. Althaeae comp.* ingreditur.

ARTEMISIA ABSYNTHIUM.

Absynthium vulgare. Полынь. Herba, summitates.

Cl. Syng. O. Polyg. superfl. O. N. compositæ discoideæ. Perennis, apud nos ubivis spontanea.

Qual. Præstans; in volatili oleo, et extractivo amaro sita. *Odor* nidorosus, mora et siccatione evanidus fere. *Sapor* valde et pure pute amarus.

V. Roborans.

Us. Morbi asthenici: cacostomachum roborat; acidum primarum viarum infringit, (imo zythum acescentem, dolio imposita, meliorare fertur). Hypochondriacis, et ictericis utilis; hepatemphraxin quoque extracto A. Absynthii cum sapone in pilulis dato, fuisse resolutam accepimus. Podagræ opitulari, Hallerus propria edoctus experientia confirmat. Scorbuti est efficax medela radice aqua, cerevisia, vel vino

infusa; nec hydropicis noxia. Contra febres intermittentes, vermes, tineam, achores, gangrænam suetum fuit remedium. *Externus*: forma cataplasmatis, fotus, imo et herba recens oedematibus discutiendi ergo admota, non officit. Ob vim coërcendi putredinem, gangrænam, aquæ marinæ incocta, subegit BARTHOLINUS.

PRAEP. *Extractum amar*: — *Infusum herbae.* — *Spec. aromaticae.*

ARTEMISIA SANTONICA.

Santonicum. Cacumen. Цытварное сѣмя.

CL. et O. præcedentis. Perennis; frutex in Palæstina crescens; in Alepo optima, ut et in australibus Russiæ oris obvia.

QUAL. Præstans: in volatili oleo posita, *Odor* fortis peculiaris; *Sapor* amarulentus, subacris.

V. Anthelminthica.

Us. Lumbrici, interdum tænia solium LINN:

DOS: Adultis, cum melle, drachma; vel in pulvere drachmæ duæ, tres, in infuso lactis interpolando post aliquot dies catharticum. Injecto quoque extrinsecus

clystere juvat, recteque conjungitur cum Allio sativo, Valeriana off. etc.

AVENA SATIVA.

Овесъ. Semen decorticatum, farina.

Cl. Triandr: O. Digyn. O. N. Gramina. Gramen annuum, quod per universam seritur Russiam.

Qual. Insipida; farinacea.

V. Demulcens; emolliens; nutriens.

Us. Forma decocti, cataplasmatis aqua puls facta, tepideque ad molliendos et maturandos tumores, admota, egregie valet.

Praep. *Alcohol dilutum. — Cataplasmata varia. — Farina. — Pulv. absorbens.*

BOLETUS IGNIARIUS.

Agaricus chirurgorum. Древесная губка. трутъ.

Cl. Cryptog. O. Fungi. Putrescentibus inprimis Quercus roboris, Tiliæ europeæ, etc. caudicibus, insidens. Boletus e caudicibus collectus, duricorius, a cortice externo, fistulosaque substantia separatus, et discissus, mallei ictibus submittatur, donec adeo mollescat, ut in minores discerpi partes queat.

Us. Mechanice sanguinem sistit, si arteria, vel vena minor vulneretur, lamellatim ipsi, urgente hæmorrhagia, imponi potest.

BOS TAURUS domesticus.

Caro, bilis, lac, sevum.

Cl. Mammalia, O. Pecora.

V. Lactis; butyri; nutriens, involvens; bilis, stomachica.

Us. Lactis, sacchari ejusdem, et seri; in tabe, hæmoptysi aliisque morbis.

Dos. Sacchari lactis pulverati, cum vel sine Nitrate Potassæ drachma, ter quater ve de die, vel semuncia in duabus aquæ fervidæ libris soluta de die.

Praep. *Ius carnium* vide *Clyst. nutrient. Vesica bovilla.* — *Butyrum* vid. *Unguenta varia Clysteres.*— *Lac* vide. *Serum*; *Cataplasma emoll. Clysteres varii.*

BRASSICA NAPUS.

Napus sylvestris. Oleum expressum.

Cl. Tetradynam. O. Siliq. O. N. Siliquosæ.

Planta biennis colitur copiosissime.

Us. Oleum expressum in usum lampa-

dum exhiberi potest; ardens tamen fuligine sua gravat pectus, et supellectilem inquinat, stupaque, dum extinguitur graviter foetet; — saponi insuper viliori, et opificiis laneis inservit.

PRAEP. *Oleum expressum.*

BUBON GALBANUM.

Gummi Galbanum. Галбанъ.

Gummi-resina, granis ex albo lutescentibus, sibi invicem vel agglutinatis, vel massæ molliori luteæ, immistis composita, ex trunco prope radicem transversim secto, fluens, mox indurescens.

CL. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ. Frutex in Arabia, Syria, et India orientali sponte crescens.

QUAL. In volatili oleo residens. *Sapor* amarus, acer. *Odor* gravis, plerisque ingratus, fere alliaceus.

V. Stimulans, resolvens, expectorans, antispasmodica, menagoga.

US. In malo hypochondriaco et hysterico, amenorrhoea, asthmate, tussi inveterata etc. in universum cautionem injungunt, arteriarum micatus accelerati, et febrile molimen; secus melius fertur.

Extus imposita resolvit, emollit, suppurationem movet; tumores etc.

Dos. Grana decem ad semidrachmam, forma emulsionis, solutionis, vel pilularum, commode cum Gummi-resina Myrrhæ, F. Asæ Foetidæ, extracto Valerianæ off. etc. præberi potest.

Praep. *Empl. gummi-resinos.* — *Pil. F. Asae foetid.*

CALLICOCCA IPECACUANHA Brotero.
CEPHAELIS IPECACUANHA Willdenow. *Ipecacuanha.*

Radix (flexuosa, tenuis, annulis eminentibus inæqualibus numerosis conspicua).

Рвотный корень.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Aggregatæ. Planta perennis Brasiliæ.

Qual. Principio resinoso nititur. *Odor* mucidus, nauseabilis pulveratæ radicis; cortex ejusdem inodorus. *Sapor* amaricans acriculus, pungens.

V. Stimulans; emetica majori dosi; minori vero sudifica, antispasmodica.

Us. In sordibus ventriculi; quas per emesin ejici expedit; in induratione testiculi vomitionibus discutienda; dein, ut sti-

mulans in morbis pectoris asthenicis, præsertim, ubi sudorem et pituitam moveri juvat; in asthmate spasmodico; pertussi; epilepsia; hysteria; melancholia; mania; in febribus intermittentibus; catarrhalibus; diarrhoea; dysenteria; amaurosi; rheumatalgia; hæmorrhagia uteri; hæmoptysi; impetigine; ictero; hydrope. Phthisiscentibus, hernia, hæmorrhagiis, et congestione sanguinis ad caput laborantibus, ut etiam gravidis, vomitionis scopo, aliena.

Ut C. Ipecacuanhae abnormis actio vel imminuitur, vel sufflaminatur Opio, ita vicissim illa, non est impar effectui Opii, æquo majori, infringendo.

Dos. Pulveris: granum, duo, tria, scopo emetico infantibus. — Adultis grana quindecim ad viginti, addito interdum grano Tartratis Stibii et Potassæ. In ceteris morbis, pro re nata, variat.

Praep. *Pulv. C. Ipecac. cum Opio — Pulv. vomic. — Vinum C. Ipecac.* —

CALX.

Terra calcarea pura. Calx recens usta.
Calx viva. Известь.

Paratur e lapidibus et terris calcareis; e testis conchyliorum et ostrearum calcinatis.

Odor Nullus; *Sapor* causticus.

E testis ostrearum parata præponitur merito.

V. Corrodens.

Us. Parandæ aquæ calcis, et potassæ inservit.

Si calcis in aëre in pulverem dilabentis parti, conjunctæ cum duabus farinæ avenaceæ, addas, adipis suis scrofæ præparatæ, sufficientem quantitatem, adversus lumbaginem, ischiadem, et genuum tumores fungosos, aptissimum cataplasma habebis.

Praep. Inservit ad parandum, *Acid. tartaric.* — *Ammon. liquid.* — *Aquam calc.* — *Mur. calc.* — *Potass. liquid.* —

CANNABIS SATIVA.

Конопля. Semina.

Cl. Dioecia O. Pent. Annua, in Russia colitur ubique.

Qual. Præstans: in oleoso, mucilaginosoque principio residens.

V. Demulcens; sedans.

Us. Infusi, aut emulsionis: blenorrhagia; stranguria; tussis catarrhalis; aurigo spasmodica.

Dos. Semuncia seminum cum unciis quatuor aquæ in emulsione, vel cum selibra aquæ in infuso datur.

Semina contusa, lactique incocta, pro cataplasmate adhibentur.

CAPSICUM ANNUUM.

Piper indicum. Стручковый перецъ.

Fructus.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solaneceæ. Annua planta, Americæ australis, Indiæque orientalis. In vaporariis apud Ruthenos colitur.

Qual. Præstans: in resinoso residens principio. *Sapor* piperi analogus, acris, subfervidus; diu in ore remanens.

V. Stimulans; peptica; rubefaciens.

Us. Dyspepsia; cardialgia; febres intermittentes; cachexia africana; nostalgia, Makitrick, qua inprimis apud nos Parvo-Russi laborant, quum in borealibus oris coguntur militare; scarlatina anginosa Wright; lethargus, et in primis febres tro-

picæ, apathia, comate, stipatæ (superdato cataplasmate).

Succus fructuum capsici in ophthalmiis asthenicis majorem in modum laudatur, uti, nec infusum capsici in gutta serena guttatim oculis instillatum inefficax. (granum in uncia trihorio infunditur) protracto præsertim usu. Hydropisi, junctum ferratis, ubi ea e re fore existimantur, utile.

CARBO LIGNI.

Уголь.

R. Carbonis ligni quantum placet.

Rite, quousque nullum amplius ediderint fumum exusti, laminæ ferreæ exponantur, simulac extincti fuerint, ab adhærente iisdem cinere, follis ope, liberandi.

V. Antiseptica, desoxygenans.

Us. Dysenteria? dyspepsia? aptius admovetur ulceribus putescentibus, gangrænosis; imo foetori oris quoque succurrit. In psora quoque cum Sulphure sublimato a quibusdam commendatur. Fluidorum foetorem corrigit, empyreuma tollit, æque coloris expertia reddit, sic Olei, Acidi

tartarici, Aceti, alcoholis, carbonatis ammoniæ, Supertartratis potassæ, aliorumque salium, dum parantur. — Pronitati quoque aquæ in putredinem a classiariis opponitur, adjecto imprimis Acidi Sulphurici pauxillo. Caro putescens, hoc respersa, recentis gratiam cito præ se fert, fitque inolens. Quosdam antiquitus carbonibus pro sale usos esse VARRO memoriæ prodidit.

PRAEP. *Catapl. antiseptic.* — *Pulv. carb. acidul.* — adhibetur etiam in præparatione, *Acid. acet. diluti.* — *Acid. tart.* — *Mur. baryt.* — *Supersulph. Alumin, et Potass.* — *aquae purificat.*

CARBONAS CALCIS.

Creta pura. Мѣлъ.

Lapides, seu oculi cancrorum; testæ ostrearum et ovorum etc. — In Ruthenia australi reperitur. *Inodorus*; *Saporis* terrei.

PRAEP. *Pulv. absorbens.* — *Solut. mur. calc.* — *Aq. acid. carbon.* — *Aq. miner. acid.* — *Aq. mineral. sulph.* — *Carb. ammon.* — *Acid. Citr. concret.*

CAREX ARENARIA.

Осока песочная. Radix.

Cl. Monoec. O. Triandr. O. N. Calamariæ.

Perennis pl. in arenoso solo crescens.

Qual. Radicis recentis: *Odor* resinoso-terebinthinaceus; *Sapor* subdulcis.

V. Sudifica; diuretica, radici Smilacis Sarsaparillæ analoga.

Us. Morbi cutis; syphilis.

Praep. *Species guajacinae comp.*

CARUM CARVI.

Carvi semina. Тминъ.

Cl. Pentand. O. Digyn. O. N. Umbellatæ. Planta biennis in Russia australi spontanea.

Qual. In volatili residens oleo. *Odor* aromaticus, subgravis. *Sapor* moderate calidus, subamarus.

V. Stimulans; peptica; resolvens; lactifera.

Us. Culinaris. Medicus: colici dolores; ad curandam in primis colicam flatulentam.

Dos. Pulveris: a scrupulo ad drachmam. Olei, gutta ad quinque.

Praep. *Oleum — Aq. dest.*

CASSIA SENNA.

Senna Александрійскій листъ. Folia.

Cl. Decandr. O. Monogyn. Fruticosa Africæ, Arabiæque, incola.

Qual. *Odor* non prorsus gratus, nauseosus. *Sapor* nauseabilis, amaricans, subacris, in principio volatili residens.

V. Cathartica.

Us. Sordes primarum viarum; obstipatio.

Dos. Infusi: drachmæ duæ, sex, ad aquæ selibram, addito semine aromatico Coriandi sativi, A. Cardamomi, vel oleo C. Carvi, Lauri Cassiæ cortice, A. Zingiberis radice etc.

Praep. *Inf. folior.* — *Clyst. cathart.*

CERA. Воскъ.

Materia indolis propriæ, vegetabilis, apis mellificæ, hymenopteri insecti, productum.

Cera flava. Желтый воскъ, cera cruda apibus collecta, atque separata a melle.

Cera alba. Воскъ яровый, или бѣлый Русскій. Cera apricatione sub aquæ frequenti adspersione, albata.

Purificata utraque in commercio vulgo venalis.

Comp. *Cerata — Emplastra — Unguentaque varia. — Lin. simpl.*

CERVUS ELAPHUS. Олень.

Cornua; gelatina cornu cervi; Sevum.

Cl. Mammalia. O. Pecora.

Qual. Gelatinæ nutriens. Cornu est substantia e Phosphate calcis composita.

Praep. *Cornu cervi rasum, vid. Dec. mucilagin. Corn. Cerv. calcinatum; Subphosph. calcis.*

CINCHONA OFFICINALIS.

China. Cortex. Лихорадочная корка.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Contortæ. Arbor regni peruviani in primis in vicinia montana Loxæ, provincia Quito; imo et Americæ incola.

Qual. Eximia: in principio cinchonino, tanino, resinoso, acido gallico et perpauco volatili oleo residens. *Odor* leviter aromaticus, specifice mucidus, pulvere, aqua bulliente adsperso, sensibilior. *Sapor* amarus cum vestigiis mitissimi aromatis, simulque subacidus, austerus, substypticus.

V. Stimulans; tonica; peptica; adstringens; antiseptica; febrifuga.

Us. Asthenici morbi; febres intermitten-

tes; remittentes; typhus; ataxia, (motus systematis nervosi abnormes spasmata; pertussis; tabes pituitosa; diarrhoea; dysenteria asthenica; pestis; variolæ confluentes atonicæ; morbilli; rubeolæ; febris scarlatina, typhodes; scrofulæ; carcinoma; gangræna; sphacelus; atrophia; hæmorrhagiæ passivæ; rachitis; scorbutus; hydrops, aqua educta. Additum absorbens Cinchonæ, ut quibusdam videtur, juvat; ubi autem pro morbi indole alia intentio est, vel noxas quasdam sub usu ejusdem obortas avertere lubet, tum aliorum quoque connubium perutile. Acidum carbonicum vomitum avertendi causa recte adjicitur, uti etiam Opium, si catharseos metus subest. Ne alvus pertinaciter adstringatur, Rhei palmati radix additur. Aromatum additio cacostomachis, et opressionem quamdam ventriculi sentientibus adcommoda.

Corticis Cinchonæ off. venalis centum libræ, ad nos adlatæ, vix quinque, vel decem genuinas ut experientia haud æquivoca docet, præbent, ideo aliis fere cassis medicamentosa virtute alia opportuna succedanea, adjectis, ubi opus, stimulantibus, substituuntur.

Dos. Adhibetur cortex ex ramis avulsus *interne* in subtiliori pulvere, qui modo in aqua præbetur, modo in vino, nunc etiam sub forma electuarii infra duas ad dimidium drachmæ, bis terve, imo et pluries de die pro ratione circumstantium rerum repetendus. Aliquando, etsi perraro etiam semuncia ejusdem pro vice præscribitur. Exhibetur quoque persæpe, decoctus, infra decem ad duas drachmas pro unica decocturæ libra. In parando decocto cautio sit, ne cortex multum ebulliat, utque in clausis ebulliret vasis. Ceterum scire licet vim bullientis aquæ solventem restringi, tantumque abest, ut continuatione decoctionis, vis ejusdem augeatur, ut potius imminuta quantitate menstrui, solutum quoque deficiat. Ad temperaturam bullientis aquæ constitutivis quibusdam activis partibus oxygenium ex atmosphæra unitur subito, eaque tum resinosam, insolubilem, inertemque præ se ferunt indolem. Pars corticis sufficit ad saturandas sedecim partes bullientis aquæ spatio sesquihoræ, aut bihorii, idque vase clauso, refrigerationi sensim exponendo fiat.

Forma quoque infusi in Alcohole, Vino, apta est.

Tinctura licet sit adcommoda; officit tamen pars Alcoholis, quo minus soluti virtus, vim salutiferam, ita, ut volumus, exserat, idque ob stimulum alcoholis majorem, neque etiam ita propinati corticis præbia sufficient ad præstitutum finem.

Quum extractum præscribitur, existimatur id Cinchonæ virtutem auctiorem, imo concentratam continere; ast quod præter usum ejusdem objici potest, est 1) quod caro pretio constet; 2) quod constitutivæ ejusdem partes, sub præparatione, præpostero consilio instituta, decomponantur, destruanturque. Si rite factum est, usuique medico utile censetur, effingendis bolis pilulisque omnino aptissimum est. Infusionem vel decocturam recentem, misturæ, in qua extractum fuerit solutum, præferendam censemus.

Pulvis *externe* in ulceribus atonicis proficuus est; in vulnerum quoque promovenda suppuratione, cortex haud mediocri in existimatione fuit, forma cataplasmatis, fomenti.

PRAEP. *Decoct.—Mistura—et Tinct. ejusdem.*

CITRUS AURANTIUM.

Fructus recens. *Aurantiorum poma.* Cortex ejusdem flavus; folia, flores.
Померанецъ.

Cl. Polyandr. O. Icosandr. O. N. Pomaceæ. Indiæ orientalis et occidentalis, copiose in australibus Europæ regionibus, cultura alitur.

Qual. foliorum rec. *Odor* debilioris fragrantiæ, graviusculus; *Sapor* aromaticus.

Florum: *Odor* fragrantissimus; suaveolens; *Sapor* amaricans, aromaticus, acceptus. Corticis flavi: *Odor* fragrans, Citro m. ingratior; *Sapor* aromaticus, amarus. Succi: *Odor* dulcacidus, vel amaro-dulcis.

V. Foliorum: tonica; cardiaca: florum, analeptica; corticis: stimulans; debiliter nervina; stomacho idonea; pulpæ: æque ac succi: frigerans; antiscorbutica.

Us. Foliorum: ataxia; convulsiones; epilepsia; chorea; foliorum manipulus in libra aquæ ad dimidii consumptionem coquitur et colatura pro unico mane præbio sumitur, vel semuncia eorumdem cum viginti aquæ unciis, ut alii suadent, per quadrantem horæ cocta, spatio unius diei

consumenda offertur. Commodum hoc in casu cum Valeriana off. aliisque congruis, ejusdem connubium. Alii in pulvere propinant scrupulum, drachmam bis, terve de die, Tissot, Locher; — corticis: forma pulveris, infusi, tincturæ: dyspepsia; intermittentes febres. — Succus in scorbuto utilis.

Praep. *Aq. destill. corticis. — Inf. Gentian. comp. — Succus Cochlear. comp. — Tinct. Cinchon. comp. — Tinct. Gentianae comp.*

CITRUS MEDICA. Лимонъ.

Fructus, ejusque succus, corticis flavedo.

Cl. Polyandr. O. Icosandr. O. N. Pomaceæ.

Qual. Fructus: *Sapor* acidus; corticis, amarus, aromaticus.

V. Succi refrigerans, antiseptica, antiscorbutica eximia; corticis, stimulans, stomachica.

Us. In febribus sthenicis et asthenicis perfrequens, in quibus refrigerat, sitim mitigat; si biliosa diathesis subest, hanc refrenat egregie, nec minus in coërcenda pronitate in putredinem valet.

Explorata acoris ejusdem et salis concreti in scorbuti curatione, eminens efficacia, haud secus ac cortices citri, marcescentibus ab eadem causa gingivis continuo admoti respondent examussim. Hinc facultas ejus antiseptica saturando cum Muriate sodæ, omnino intenditur, Wright; et tum fit dysenteriæ, febribus intermittentibus, scarlatinæ anginosæ, et in primis diabeti et lienteriæ maxime idoneum medicamen. In vomitu inhibendo acidum cum Subcarbonate Potassæ rite mistum ebullitionis tempore administratur. Flavedo corticis nervos refocillat; stomachum roborat.

Praep. *Succus.—Aqua destill.— Acid. Citri concret. — Decoct. antiscorb. — Aqua cardiac. — Dec. mal'. H. acidula. — Haust. acid. carbon. evolv. — Inf. lini — Mist. subcarb. potass.*

COCHLEARIA ARMORACIA.

Raphanus rusticanus. Radix recens, ejusque succus expressus. Хрѣнъ.

Cl. Tetradyn. O. Siliculosa O. N. Siliquosæ. Perennis, hortensis.

Qual. Eximia a principio acri volatili repetenda.

V. Stimulans, diuretica, antiscorbutica, rubefaciens.

Us. In scorbuto, infunditur vino vel cerevisia sola. In hydrope post febres intermittentes superstite, succus radicis claret, saccharo vel vino remistus. In asthmate pituitoso, in paralysi, arthrodynia rheumatica, paraphonia utilem esse perhibent. Rasa recens radix, atque cuti ad semunciam imposita epispastica eminet efficacia.

Dos. Radicis rasæ: scrupulum, duo, ad drachmam et amplius. Succi expressi: semidrachma in haustu vini.

Praep. *Catapl. synapin. acre. — Cerevis. antiscorb.*

COCHLEARIA OFFICINALIS.

Cochlearia hortensis Herba recens, ejusque succus expressus. Ложечная трава.

Cl. et O. ut præcedentis.

Qual. Herbæ recentis: egregia, ab acri principio volatili repetenda; *Sapor* acris.

V. Leniter stimulans, diuretica, antiscorbutica.

Us. Herbæ et succi: cachexiæ, scorbutus.

Praep. *Succ. Cochleariae compositus.*

COLOMBA.

Radix. Obscura. Willdenow esse Bryoniæ speciei radicem existimat *). Корень колюмбы.

Qual. Ejus in cinchonino principio et magna mucilaginis quantitate, residet. *Odor* subaromaticus, non ingratus. *Sapor* amarulentus, acriculus.

V. Stomacho apta; peptica.

Us. Diarrhoea; dysenteria in primis asthenica, uti et cholera, vomitiones habituales, in connubio pro re nata, Opii, Magnesiæ; dyspepsia; malum hypochondriacum; hystericum, addita Quassia amara optime curantur. — *Externus* ulcera inspergendo atonica.

Dos. Pulveris radicis: Scrupulus ad semidrachmam, secunda, tertia quaque hora, cui interdum aromatica quoque, cor-

*) Insulae Ceylon incolam plerique omnes censent, unde ad universam Indiam transferri credebatur; verum nunc pro certo habemus, eam in Africa, et quidem in regione Caffrorum reperiri, nec mediocrem ex commercio ejusdem in Lusitanos redundare utilitatem, quod in Mozambica, provinciae Tranquebar, exercent.

ticem Citri aurantii, radicem Rhei palmati, Ferrum, addere non erit alienum. Infusa quoque vino, aqua destillata, vel Menthæ piperitæ, vel alcohole, in remediis pollet. In aqua facilius solvitur.

PRAEP. *Pulv. supersulph. Alum. et Potassae.*

CONIUM MACULATUM.

Cicuta major. Болиголовъ.

CL. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ.

Biennis planta in australi Russia crescens.

QUAL. Recentis venenata, principio contenta narcotico, acrique. *Odor* putidulus, teter; *Sapor* acris, nauseam movens.

V. Stimulans, narcotica, resolvens, diuretica, antipsorica.

Us. Rheumatalgia, prosopalgia, blennorrhoea, WEICKARD. psora, BALDINGER; scrofula, in connubio in primis gummi resinæ F. Asæ foetidæ, saponis antimonialis et pro re nata, Hydrargyri. Strumas egregie propulsat; nec electuarium e Conio maculato, spongia usta, mistum, frustratui habet. In atrophia infantum sine febre, laudatur. In pertussi a BUTTLERO ali-

isque laudatum remedium. Item in tinea, induratione testiculi et prostatæ, in cancro (cum Hydrargyro) dolorem imminuit et eundem fere exserit effectum quem Opium, quin alvum comprimat.

In carie ipsa et in ulceribus venereis *extrinsecus* admotum, non est laude sua orbandum.

Dos. Pulveris vel succi inspissati granum, adscendendo gradatim ad scrupulum de die. Succus seminum spissatus citius producit vertiginem, quam foliorum; is proinde a dimidio grano porrigendus sub initium.

A cicuta virosa, Aethusa cynapio, Chærophyllo sylvestri, temulento et bulboso, nec non a Tordylio anthrisco, omnino distinguendum. — Character ejus est, semen in uno latere striis nitide serratis notatum.

Praep. *Succ. fol. recent. express. et spissat.* vulgo, *extract. cicutae.* — *Catapl. conii m. ammoniat.*

CONVOLVULUS JALAPA.

Ялапной корень. Radix.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Campanaceæ.

Mexicana et Veræ Cruz; mediæ Americæ perennis.

Qual. In principio acri resinoso residens.

Odor ingratus; *Sapor* acriculus, nauseosus, diu inhærens.

V. Cathartica; hydragoga. Resinæ: drastica; anthelminthica.

Us. Febres intermittentes, aliæve ubi alvum duci expedit; lumbrici; tænia solium Linn. adjunctis aliis anthelminthicis. Hydropi, conjuncta in primis cum Supertartrate Potassæ, stimulum intestinis imprimendo, medetur. Alvus adstricta; physconia abdominalis.

Dos. Pulveris radicis: a granis decem ad semidrachmam, pro adultis; idque pro ratione ætatis et habitus corporis; in infusione fere nunquam præscribitur. Non spernendum consilium est, ut pulvis cum saccharo teratur, ne tenax resina, intestinorum lacunis adhæreat, et ut ad præ-

pedienda tormina, pauxillum aromatis adjungatur

Vulgaris quoque miscela est cum Supertartrate Potassæ, aut alio quopiam neutro sale, quæ regula observanda est in præscriptione omnium remediorum, quorum cathartica vis a resinoso derivatur principio. Bryoniæ segmenta, a turpilucricupidis mangonibus eidem admista, colore albo et textura spongiosa se produnt.

PRAEP. *Pil. cathart. diureticae — Pulv. C. Ialap. et Mur. hydr. oxydul. — Pulv. C. Ialap. et Supertart. Potassae.*

CROTON ELEUTERIA.

Cascarilla. Кашкарилъ.

Cortex (coloris extus cinerei intus e ferrugineo fusci; quem etiam comminutus servat, fragilis).

CL. Monoec. O. Monadelph. O. N. Tricoccæ. Arbos in America meridionali, præcipue in Jamaica, insulisque Bahamicis, Floridæ vicinis, obvia.

QUAL. In volatili oleo, atque extractivo amaro residens. *Odoris* (in primis ac-

censi) gratissime fragrantis; *Saporis* amari, multum aromatici.

V. Stimulans; roborans; peptica.

Us. In astheniis chronicis: febribus hecticis, HOFMANN; phthisi, pituitosa vulgo dicta; blennorrhoea; stomacho quoque imbecillo a decem idonea granis ad quadraginta cum tantillo corticis L. Cinnamomi, vel potius L. Cassiæ florum, atque generoso, si præsto est, vino. In profluviis alvinis coërcendis et dysenteria quoque celebratur, additis volatilibus stimulantibus. In chronicis diarrhoeis, per modum infuso-decoctus, cum Opio, Aethere sulphurico, aliisque analogis, utilem esse, experiundo didicimus. An hæmorrhagiis passivis, ut existimatur, conducat, dubito; tutius profecto, ut usu cognovi, recidivas avertit, præsertim in connubio corticis Cinchonæ off; in malo hypochondriaco et hysterico, conducere observavit BOULDUC. Antiquitas eidem, ut febrifugæ, patrocinabatur. Convalescentibus ex morbo, cum liquore vitigeno et amaris, viribus sociatis, calcar subdit.

Dos. In pulvere a granis decem ad viginti vel triginta exhiberi poterit. Pro in-

fuso aquoso vel vinoso drachma, ad libram vehiculi alterutrius. Extracti grana decem ad triginta.

PRAEP. *Extractum.*

CUPRUM. Мѣдь.

Metallum ductile, colore rufum, acido carbonico in viride oxydum mutabile. In Nertschinsk Sybiriæ indigenum.

QUAL. *Odoris*, si manu teratur, est proprii; *Saporem* metallicum, nauseolam moventem, præ se fert, vix ex ore, et lingua delebilem.

Us. Præparata. Videsis: *Acetatem cupri.*

DAPHNE MEZEREUM.

Mezereum. Cortex radicis. Волчье лыко, Волчій перецъ.

CL. Octandria. O. Monogyn. O. N. Vepreculæ.

Frutex in Russia, tum boreali, tum australi perfrequens, spontaneus.

QUAL. Venenata: a principio acri derivanda. Acritas ejusdem insignis, tam gustatu, quam externo ejusdem admotu, cutem erodente, abunde declaratur.

V. Stimulans; in parva dosi resolvens, diuretica, sudifica; in majori drastico-ca-

thartica, emetica, arrodens. *Externe:* corrodens, vesicans.

Us. Syphilis refractariola; (improbante tamen Pearson), herpetibus, scrofula, aliisque similibus stipata; tophi; morbi cutis chronici: psora, herpetes, ulcera asthenica ichore sublivido mali odoris scatentia, præsertim tonicis, antimonialibus, mercurialibus aliisque congruis, pro re nata additis vel præmissis; scirrhomata; tumores tonsillarum. *Externe* quoque, ut rubefaciens, vesiculas etiam excitandi causa, vices explet fonticulorum, vesicantium, synapismorum etc.

Monogrammis, phthisicisque alienus est.

Dos. Drachmæ duæ corticis radicis, vel semuncia radicis concisæ cum pari portione Glycyrrhizæ glabræ in libris tribus aquæ coquendo ad colaturam bilibræ. Antidotum ejus est Camphora.

Praep. *Dec. ejusdem.—Spec. guajaci comp. cum eodem.*

NB. Baccarum ejusdem additione acrius reddi acetum, e quæstu turpilucricupidorum, in propatulo est.

DAUCUS CAROTA.

Daucus Sativus. Radix recens, folia, semina. Морковь.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ. Biennis in campis pratisque crescit; in hortis colitur.

Qual. Radicis a mucilaginoso, saccharino principio derivanda. *Sapor* dulcis. Seminum *Odor* fragrans; *Sapor* aromaticus, subamarus.

V. Radicis nutriens, demulcens, antiseptica; seminum, stimulans, diureticaque esse censetur.

Us. Succus ex radice emollita, coctione expressus, et in extracti formam redactus, loco sacchari, vel mellis, vel syrupi, edulcandis eduliis, idoneus, nec in tussi, phthisi, et vermibus infantum spernendus. Ab infantibus infestatis ascaridibus, cruda radix jejuno utiliter ventriculo estur. In aphthis oris, decoctum vel succus ex decoctis radicibus expressus, et pauxillo mellis rosacei mistus, penicillo illinitur, vel in aphthis internis ad cochlear parvum commode datur; calculosis quoque profuisse relatum accepimus. Radicis ra-

sæ, forma cataplasmatis: ulcera phagedænica, cacoëthica, putrida, herpetica, cancrosa, minuendo dolorem, fetorem et suppurationem. Conquassatæ radices recens adustis superdatæ juvant, DAREL.

COMP. *Catapl. Dauci.*

DIGITALIS PURPUREA.

Folia. Наперсточная трава.

CL. Didyn. O. Angiosperm. O. N. Solaneæ.

Biennis in campis australis Russiæ apricis perfequens.

QUAL. Venenosa. *Sapor* acris, amarus, nauseosus.

V. Arteriosi systematis motum, irritabilitatemque retardans, minuens; actionem absorbentium vasorum augens; diuretica. — Majore dosi: emetica; drastico-cathartica.

US. *Internus.* Forma pulveris, infusi, vel tincturæ. Rheumatalgia, et in primis acutus rheumatismus, HENRY; epilepsia WITHERING, MACLEAN; eclampsia gravidarum et puerperarum, DUNCAN, *Med. comment.* Pertussis, HAROLD. Catarrhus, MOSMAN. Cynanche trachealis, seu stridula aut

polyposa infantum (Anglis Croup.) asthma spasmodicum cum Opio, Ferriar. Porro in spasticis constrictionibus utilitas ejus emicat per experimenta, quibus herniæ incarceratæ profuit, Dunning, Huffland; hæmorrhagiæ activæ, Carson; epistaxis, hæmoptysis Currie; hæmorrhoides, usu tincturæ, et mictus cruentus cum dysuriæ incommodis, Maclean; phthisis, Darwin, Beddoes; hydrops articuli, Brandisius; hydrothorax, vitiosa vasorum exhalantium sedulitate, pravaque resorbentium inertia ortus, Lentin; apoplexia hydrocephalica, dato pulvere Digitalis cum Muriate Hydrargyri oxydulato; nuchæ vero vesicatorio, temporibusque admotis hirudinibus curata, Garnet. — Pulveris instar, semina minutissima, quæ, sicuti alia similium plantarum, summam virium, in compendium jungunt in hydropis præcipue usum commendat, Scherwen. Mentis alienationibus profuisse, Nord testatur. Aneurisma aortæ, simulac arteriarum micatus ad guinquaginta quatuor fuerint, suborta majori quantitate diuresi, usu remedii hujus supersedendum est.

Externus: Infusi, forma lotionis, seu in-

jectionis, unguenti: impetigines et tinea squamosa, MACLEAN, FERRIAR. Psora, ANDERSON. Lepra scorbutica, VICAT. Scrofula, usu unguenti (et succi recenter expressi) PARKINSON. — Unguentum Digitalis e succo recenti, cum successu admovit strumæ, THILENIUS.

DOS. Variis illa modis in remedii usum præscribitur a medicis. Aut in pulveris forma ægris exhibentur folia a dimidio grano ad granum, sesquigranum, duo vel etiam tria, vel aqua superfunduntur, videsis: infusum Digitalis purpureæ.

Fit quoque mitius infusum drachmæ unius siccatorum foliorum ad uncias octo fervidæ aquæ, per quatrihorium, rite digerendum; addita, hoc facto, colaturæ uncia aromaticæ cujusdam aquæ; sumitur bis de die semuncia, vel etiam uncia, quæ est dosis media pro adulto.

Tincturæ, præterea componuntur, quæ quidem, ut præparatione, ita effectu multum differunt. Optima est tincturæ formula, quæ a MACLEANO proponitur, videsis: Tincturam Digitalis purpureæ.

Sub usu hujusce remedii subinde ægrotus obfuscationem visus, aliaque patitur

incommoda, uti nauseam, vehementes vomitus, oesophagi constrictionem spasticam, singultum, diarrhoeam, interdum ptysma etc. Cujus ubi subest metus, vel minuenda est dosis, vel omnino usu remedii supersedendum, et tum aromata, tonica, et id genus alia, recte adjiciuntur.

PRAEP. *Tinct. digital.* — *Pulv. ejusdem. Pulv. Supertart. potass. et Digit. purp.*

FERRUM SELECTUM.

Железо.

CL. II. Mineræ, Metalla. *Odor* proprius; *Sapor* metallicus.

V. Tonica, deobstruens, menstrua movens, hæmatopoëtica.

US. Morbi asthenici, vel a menostasia orti: chlorosis; leucorrhoea; rachitis; menorrhagiæ passivæ; cachexia; icterus.

DOS. Ferrum limatum, a granis quinque ad scrupulum cum saccharo in pulvere, vel cum quopiam aromatico, vel per modum pilularum, cum extracto amaro.

PRAEP. *Limatur. Ferr. purific.*

FERULA AMMON.

Gummi-resina. *Gummi ammoniacum.*

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ.

In Nubia, et Abyssinia, interioribusque locis Aegypti.

Qual. *Odor* gummi-resinæ alliaceus, ingratus, gummi-resinam B. Galbani redolens. *Sapor* acris, amarus, nauseosus. — In ore mollescit et albescit; calore quidem mollitur, sed non solvitur, ast super prunis inflammatur et consumitur. — In aqua et aceto pars tantum solvitur; pars vero resinosa dimidium ejus constituens, quiete separata, subsidet.

V. Stimulans; resolvens; imo, ut cel: Arnemann observat, etiam emolliens; antispasmodica; pituitam à granis decem ad semidrachmam; majori autem præbio lotium et alvum leniter movens.

Us. *Interne* in morbis pulmonum asthenicis; in phthisi pituitosa; asthmate; physconia abdominali; chronica rheumatalgia, in dyspnoea catarrhali; amenorrhoea (ab imminuta irritabilitate) conjunctim cum Aloe et Sapone, Weickard. Hæmorrhoidibus quoque eodem auctore proficua;

in colica rebelli; in hydrope; in malo hypochondrico, hystericoque a quibusdam commendatur. *Externe* acido acetico impuro, vel aceto scillite soluta, forma emplastri et unguenti: induratio testiculorum; scirrhus; lupia; tumores articulorum frigidi; hydrarthrus.

Dos. Grana decem ad scrupulum, semidrachmam. In pilulis excipitur extractis amaris, cum gummi-resina Myrrhæ, Asæ foetidæ, succo Aloës p: Scill: rad. — oxydo stibii hydrosulphurato, — vel etiam in quapiam aromatica aqua potest solvi.

Praep. *Pilulae, — Emulsio. — Solut. in acet. scill. vel aceto et Asa foetida. — Empl. Gummi resinos. — Catapl. discutiens.*

FERULA ASA FOETIDA.

Gummi-resina, seu succus gummi-resinosus incisione radicis plantæ obtentus, concretus. Вонючая камедь.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ.

Perennis Persidis, in campis ejusdem montosis crescens.

Qual. In principio resinoso, oleoque volatili sita, Allium cum alio fetoris intolerabilis genere, redolet.

Sapor ejusdem amarus, acris, mordens, diutissime inhærens. Ex $\frac{2}{3}$ gummi et $\frac{1}{3}$ resinæ constans.

V. Stimulans, sedans, resolvens, menagoga, anthelminthica, antispasmodica, pituitam movens.

Us. *Internus* et *externus*: in chronicis pulmonum morbis, ut tussi; asthmate convulsivo, caduco pulmonum, arthritico, MILLAR; in pertussi; hepatemphraxi; ictero; scrofulis; spasmis; doloribus; prosopalgia; (adjuncto Conii m. usu) THILENIUS. Ataxia, hypochondriasi, et hysterico malo, laborantibus, prodest. Lumbrici, caries, paronychia, bubo, recte curantur hac gummi resina; in tympanitide etiam dyspepsia, amenorrhoea, dysmenorrhoea, chlorosi a quibusdam laudatur. In angina polyposa (Croup dicta) præsentissimum remedium.

Dos. Pulveris grana quinque, decem, viginti, ter, quaterve de die per se vel in connubio aliorum; exhibetur quoque in pilulis, et soluta infra duas drachmas ad dimidium scrupuli, quæ augetur ab una ad drachmas tres, si in usum clysteris detur. — In alcohole quoque solvitur.

Ob graveolentiam ejusdem, utplurimum sub forma pilularum præscribitur; ubi vero adhibenda soluta, ut semper fit in clysteribus, utendum est vitello ovi, aut aliqua mucilagine. Quod semper observandum est in præscriptione gummi - resinarum, quæ plus resinæ, quam gummi continent.

Praep. *Clyster As e foet. — Mistura ejusd. — Pil. Aloes et Asae foet. — Pil. Digit. purp.—Pil. Scillinae. — Pil. F. Asae foetid. comp.*

FICUS CARICA.

Fructus. Винныя ягоды, Смоквы.

Cl. Polyg. O. Dioecia O. N. Scabridæ. Arborea Europæ australis.

Qual. Dulcis, mucilaginosa.

V. Nutriens, emolliens, maturans, pectoralis.

Us. Decocturæ *internus*: raucitas; tussis; colica pictonum. *Extus*: fructus, lacte decocti, vel assati; forma cataplasmatis: odontalgia; cynanche; bubo; anthrax; abscessus maturandi etc. Ano inditi suppositorii vices agunt.

Vide s.s: Decocturam Althaeae off.

FUMARIA OFFICINALIS.

Чистякъ. Herba, succus.

Cl. Diadelph. O. Hexand. O. N. Lomentaceæ. Planta annua in hortis, et agris, sponte copiosissima.

Qual. Inodora; sed tota stirps succo scatet intense amaro, salino.

V. Stomachica; antacida.

Us. Herbæ succus, obstructionibus, viscerumque infarctibus reserandis, scorbuto, veterum æque ac recentiorum consensu unanimi, par esse existimatur, et tunc cum succo Sisymbrii Nasturtii, Scandicis Cerefolii, Leontod. Taraxaci, Cochleariæ off. sero lactis, Aqua Selterana etc. aptissime conjungitur. In psora, non spernendum remedium est herba, vel sero lactis infusa, vel cum Zytho decocta; a cl. Strandberg magni nominis clinico; in herpetibus quoque, uti a Leidenfrost, et Thomson, in leprosis adfectionibus amplissima tulit præconia.

Ictericis et calculosis utilem esse, Bicker auctor est. Hepatemphraxeos laudatum ab excellentissimo Rogerson reme-

dium. An melancholiæ sit par discutiendæ, ut quidam contendunt, dubito.

Comp. *Spec. turion. Pini comp.—Succ. Cochl. comp.*

GENTIANA LUTEA.

Gentiana rubra radix. Горечавка желтая.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Rotaceæ. In alpibus temperatæ Russiæ perenniter crescens.

Qual. Amarulenta.

V. Stomacho apta, peptica, antiseptica, anthelminthica, febrifuga.

Us. Ventriculi et intestinorum debilitati medetur; bilis inertiæ, juncta saponi, subvenit; acidum primarum viarum frangit, hinc suetum in dyspepsia remedium; febres intermittentes in connubio adstringentium propulsat; denique in physconia abdominali, ictero, leucophlegmatia, chlorosi, arthritide, podagra et in primis in helminthiasi merito commendabilis.—Sub miscela aromatis grati, menstruoque vinoso vel spirituoso soluta, efficacior, meliusque fertur. *Extus*, ulceribus putescentibus non inepta.

Dos. Radicis, a granis decem ad scrupulum, duo.

Praep. *Extr. Gentian.*—*Tinct. Gent. comp Dec. Salic. comp.*—*Extr. amar.*—*Inf. Gent. comp.* — *Pulv. Salic. comp.* — *Tinct. Rhei. amara.*

GLYCYRRHIZA GLABRA.

Liquiritia. Radix, succus ejusdem expressus et spissatus. Солошковый корень.

Cl. Diadelph. O. Decandr. O. N. Papilionaceæ.

In australiori deserto ad Jaikum Rutheniæ sponte crescens.

Qual. A principio mucilaginoso saccharino derivanda. *Odor* crudus, exacte leguminum rec. phaseoli vulgaris; *Sapor* intense dulcis, simul in legumen pisi incidens idque, parte in primis corticali, et nonnihil mucilaginosus; diutius masticata, leviuculam præ se fert amaritudinem.

V. Demulcens, expectorans.

Us. In infuso cum aliis, vel succi in tussi, raucitate, screatu, in adfectionibus pectoris, nephritide, blennorrhagia, stranguria, catarrho, paraphonia, dysenteria, ubi deficit mucus naturalis etc. — Additur quo-

que radix aliis, ad celandum eorumdem ingratum saporem, ut pilulis pulvis, vel eo inspergitur fine, vel ideo, ne inter se cohærescant.

Praep. *Succ. spissat*, vulgo *extractum*.

Decocturis, *infusis*, *pilularum massis*, *pulveribus additur. Spec. Althaeae comp.*

GUAIACUM OFFICINALE.

Guajacum: lignum; cortex ejusdem; succus gummi-resinosus, ex arbore exsudans, concretus. Баккаутъ.

Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Gruinales.

Arbos in Hyspaniola, Jamaica, Barbados, Brasilia, aliisque regionibus Americæ meridionalis spontanea.

Qual. Ligni scobis *odore* debili, resinoso; masticata, *Sapore* subamaro, acriculo. Corticis *Odor* debilis, resinosus; cortex masticatus, inter dentes friabilis; gummi resinæ *Sapor* acris, pungens.

V. Eximia: stimulans, sudifica ægro in primis calidius cooperto; eodem vero frigidius servato, diuretica. Majoribus dosibus alvum liquans, imo protracto usu, salivam movisse fertur.

Us. Rheumatalgia chronicæ indolis, arthrodynia, syphilis, Pell: Admodum verisimile est, quibusdam tantum syphiliticis morbis opponi posse, præsertim aliis acrimoniis, ut scabiosa, herpetica, scrofulosa, stipatis; virus autem venereum per se non tollit. Prodest quoque in duritie ligamentorum, et periostii post usum mercurialium superstitibus, Duncan. Non minimo præconio dignum est Guajacum, quod morbis cutaneis propere subveniat plerisque omnibus. In hydrope quoque vago Richteri, ozæna, in adfectionibus membrorum et ligamentorum scrofulosis etc. laudatur. — *Interne* sumtum caloris sensum in stomacho, siççitatem oris et sitim excitat, calore corporis aucto et circulatione sanguinis accelerata; hinc sthenicis morbis alienum.

Dos. Lignum, in infuso, vel leni decoctura præberi solet; ast hæc minus efficax esse videtur; resina enim pars constitutiva, nonnisi minima quantitate in aqua solubilis, vix, ac ne vix quidem potest exerere vim, quam præstituimus medicam; datur autem a quibusdam a drachma ad sex. Persæpe aliis additur decoctionibus;

sed cum per se adhibetur, paulum Glycyrrhizæ, ut quibusdam placet, adjici expedit. Interdum in collutorio quoque adhibetur decoctio aut ipsa per se, aut additis remediorum adminiculis. — Gummi-resina exhibetur in forma pilularum, vel in aqua, forma emulsionis a granis decem ad triginta, vel in solutione in diluto alcohole, vel pulverata a granis decem ad viginti.

Praep. *Gummi-resina.—Haust. Guajacin.— Tinct. Guajac. simpl. et ammoniata. Pulv. Guajac. et Carbon. ammon. — Pulv. Guajac. comp. — Pulv. Guajac. et Tartr. Stib. et Potass. — Spec. Guajac. comp. — Pil. Guajac. comp.*

HÆMATOXYLON CAMPECHIANUM.

Lignum Campechianum seu *Campechense.*
Лазоревое дерево. — Lignum; extractum.

Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Lomentaceæ. Arbos in meridionali America, Jamaica, Hondura, nominatim ad sinum Campeche, regni Mexicani, copiose, sponteque crescens.

Qual. Tinctoria, *Sapor* subadstringens et subdulcis, in extractis quoque, seu

aqua, seu alcohole paratis, se prodens; *Odor* vix ullus.

V. Roborans, adstringens.

Us. Alvo, si fusa est firmandæ, vel decoctum vel extractum ejusdem aptum est, nec minus sub finem dysenteriæ vis ejusdem medicamentosa prædicatur. Hoc remedium sæpe respondere experimenta testantur.

Dos. Unciæ duæ ad libras duas aquæ coctæ ad libram, unciatim præbendam; — extracti grana decem ad triginta pro dosi.

Praep. *Extractum. Dec. ligni.*

HORDEUM DISTICHON.

Hordeum. Ячмень. *Semina excorticata*, Перловая крупа, *Maltum*, солодъ.

Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramina. Planta annua, ubique colitur.

Qual. Mucilaginosa, farinacea, amylaceæ indolis.

V. Seminum: demulcens, emolliens, et plus quam avena nutriens; malti, antiseptica, alvum liquans.

Us. Farina, conficiendis cataplasmatibus, et fomentis siccis apta; cui tamen pro re nata, secalitia, subrogari potest. Malti de-

coctum scorbuto non alienum. — Ptisana ejusdem acidulata morbis acutis apta.

PRAEP. *Acetum*, *Alcohol*, *Cerevisia*, *Maltum*, *Decoct. Hordei.*

HUMULUS LUPULUS.

Хмѣль. Strobili (coni), antequam floruerint colligendi et siccandi sollicite.

CL. Dioec. O. Pentandr. O. N. Scabridæ. Perennis, in quibusdam insulis fluvii Jenisei H. Lupulus spontaneus, tam bene viget, ut venditio in vicinas terras, incolis Krasnojarcensibus insigne lucrum adferat, alibi vulgaris ad sepes, alibi adornatis lupuletis, pro usu oeconomico colitur.

QUAL. *Odor* grate aromaticus, nidorosus; *Sapor* amarus.

V. Narcotica, stomachica, excitans.

US. Fere ubique, ubi Opium dare expedit, utilitatem promittit; cervicali subditi coni, somnum arcessunt.

DOS. Pulveris grana tria; Tincturæ guttæ quadraginta. Pro succedaneo Opii habetur, eique merito subrogatur in variis casibus. *Vide sis: Dissert. inaug. de Hum. Lupul., a cl.* de Roches, *Edinburgi* 1803, publici juris factam.

PRAEP. *Tinct. Hum. Lup.* — *Pil. ejusdem.*

HYDRARGYRUM.

Hydrargyrum virgineum. Ртуть, живое серебро.

Lin. Cl. ii. Mineræ, Metalla.

Est metallum in calore atmosphærico liquidum; in summo autem frigoris gradu sub 34½ Reaumuriani thermometri solidescens, atque malleabile, coloris splendidi, argentei, ponderosum nimis, et in mediocri igne totum evaporans.

Purum neque adulterationis suspectum facile globulis exacte rotundis, levissime iterum coëuntibus currens in charta, in cursu nil impuri relinquens, acetum minime dulcificans, vel plumbeas particulas per reagentia detegendas, nequaquam prodens, per corium expressum, fere nil immundi, vel pulverulenti relinquens, cognoscitur.

Reperitur, seu nativum Mercurius virgineus, dictum, seu Sulphure, in Sulphuretum Hydrargyri rubrum, seu Cinnabarin versum, in quod ubi vertitur, pro variis, quibus inhæret terris, varias effingit mineras. Sit purum, nullo alio contaminatum metallo, quod deflagratione

*

in cochleari ferreo supra carbones detegitur, ubi Hydrargyrum avolat, metallo, quod admistum fuit, relicto. Cujus superficies neutiquam nitet, ast fusca et quasi membranula obducta, adparet, tardius et globulis quasi caudatis currens, nigra vel cinerea relinquens vestigia, adulteratum est. *Sapor* dulcis Aceti cum Hydrargyro digesti, colorque obscurus ex admisto liquore vini probatorio Hahnemanni indicat depravationem cum Plumbo; Acidum nitricum Hydrargyro adfusum, stannum commistum in oxydum album corrodit. Bismutho inquinatum in acido nitrico diluto solutum Hydrargyrum, adfusa aqua destillata, albo præcipitatur colore, quod præcipitatum, est oxydum Bismuthi. Pro medico usu instituitur optime revivificatio Hydrargyri via humida, coctione cum ferro in aquæ sufficiente quantitate e Muriate Hydrargyri oxydato (corrosivo). Ex Idria, Hyspania, India orientali, et Palatinatu obtinetur, in variis quoque Siberiæ montibus, obvium.

V. Stimulans, solvens, resolvens; minime vero, ut Weickard adserit, roborans. Agit in omnia systemata; præcipue vero

in lymphaticum, in omnes excretiones; maxime vero in glandulas salivales, dein cutim. Dum datur calcinatum, ventriculo et intestinis struit insidias debilitando. Salia ex eodem lotium movent etc.

Hinc liquido perspicitur, usum Hydrargyri in morbis latius patere, atque pro ratione connubii, habitus corporis, temperaturæ, præparationis etc. varium exserere effectum; agit vero, ut errhinum Subsulphas Hydrargyri, ut sialagogum idem, in quavislibet forma, ut catharticum Murias Hydrargyri oxydulatus, ut diureticum Murias Hydrargyri oxydulatus et oxydatus in connubio præsertim aliorum diureticorum, ut sudificum Murias Hydrargyri oxydulatus, ut stimulus idem, imo ut antispasmodicum, anthelminthicum etc.

Us. Hoc proinde scopo sub variis formis præscribitur in febribus intermittentibus rebellibus, morbis sthenicis, in inflammationibus chronicis et in primis viscerum, jecinoris, lienis etc. in morbis exanthematicis, variolis, Dimsdale. Profluviis, dysenteria etc. spasmis, tetano, trismo, hydrophobia, cachexia, anasarca, ascite, hydrothorace, hydrocephalo, sy-

philide, impetiginibus, scrofula, lepra, ictero, morbis localibus, caligine corneæ, amavrosi, blennorrhoea, herpete, tinea, psora etc.

HYOSCIAMUS NIGER.

Блекота, Бѣлена. Herba, folia recentia.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. solanaceæ.

Biennis ubique ad vias, et in pinguibus desertis crescens.

Qual. Venenata, in principio sita narcortico, *subinsipida*; *odor* virosus.

V. Narcotica, anodyna, antispasmodica, resolvens. Alvum tantum abest, ut adstringat prout Conium maculatum, ut potius interdum solvat eandem.

Us. Paralysis; varix ani; hæmorrhagiæ ab irritatione; palpitatio cordis; variæque nevroses, ut mania, melancholia, epilepsia, hysteria, algemata, videlicet, ubi e re est, actionem præternaturalem imminuere, doloremque sedare, in omnibus his casibus, tantam quantam Opium, promittit utilitatem, persæpe utiliorem hoc se præstat, loco cujus, præcipue ubi obstipatio usum Opii contraindicat, adhibetur

aptissime. *Externe* forma cataplasmatis foliorum, vel emplastri ex oleo seminum, pulveris herbae, cera et terebinthina, vel unguenti ex pulvere et adipe suilla: scirrhum resolvere fertur. Ulceribus quoque rebellibus pulvis foliorum inspersus, proficuus. Usu cognitum est, majores doses effectus esse notabilioris, et quidem sudoris copiosam eruptionem, placidum et profundum somnum, animi serenitatem, et corporis vigorem, capitis obnubilationem, gravitatem et cephalalgiam, vel vertiginem, sensuum internorum torporem, exanthemata vel fusca serpiginosa, pustulosa, in mento et gena oriri; nasci quoque in quibusdam copiosum lotii profluvium, crebrioresque alvi dejectiones, haud secus ac alios vomitum experiri, quosdam ventris tormina, soporeque sub dilatatione pupillæ tentari, experiundo didicimus.

Dos. Granum dimidium, grana duo ad viginti, sensim, sensimque idque ascendendo cautissime; adsuetis major quoque dosis impune dabatur.

Praep. *Succ. spissat.* (*extractum*) *foliorum.* — *Tinct. Hyosciami n.*

INULA HELENIUM.

Enula campana. Девесилъ.

Radix, (carnosa mucilaginea, crassitie pollicis, extus fusca, intus alba).

Cl. Syngenes: O. Polyg. superfl. O. N. Compositæ radiatæ.

Qual. Præstans: a volatili repetenda oleo; *Sapor* ex acri sub-amarus, sub-nauseosus; *Odor* subaromaticus. Camphoræ, acidoque benzoico, attestantibus Neumann et Geoffroy, similis.

V. Stimulans, Angelicam A. æmulans, incidens, expectorans anthelminthica.

Us. In morbis pectoris asthenicis; tussi; asthmate pituitoso; chlorosi, etc. laudatur. Contra psoram in unguento celebritatem consecuta est. An pro alexipharmaco, quin pro præservativo contra pestem, ut Rajus et Diemerbroeck contendunt, haberi queat; non scimus pro certo.

Dos. Vel in pulvere ad semidrachmam, vel supra, vel aqua decocta, sive infusa datur. Præcipue infusum vino factum arridet.

Praep. *Spec. Alth. comp.* — *Ung. Inulae.*

JUNIPERUS COMMUNIS.

Lignum; baccæ. Можжевельникъ.

Cl. Dioec. O. Monadelph. O. N. Coniferæ.

Frutex in acclivibus exsuccis, aridisque Russiæ temperatæ germinans.

Qual. Baccarum, in oleo volatili copioso, et dulci mucilaginoso proprio residens. *Odor* baccarum pulpæ aromaticus, satis gratus; *Sapor* aromatico-dulcis, dein subamarus; ligni idem; sed debilior.

V. Baccarum, ligni et resinæ: stimulans, sudifica, diuretica, tonica; decocti et extracti: minus stimulans, magis diuretica.

Us. Hydrops; scorbutus; syphilis; morbi cutanei. Olei: vermes. — Suffimen, non tam ad corrigendum aëra, quam ad graveolentiam, ubi opus fuerit, obtundendam, vulgatissimum.

Dos. Adhibetur lignum, baccæ et oleum. — Lignum rarius in infuso, vel leni decoctura a duabus drachmis ad unciam. Baccarum antea contusarum, in infuso drachma, semuncia, ad selibram vel libram aquæ vel vini. Olei guttæ duæ ad decem. *Externe*: non tantum suffiendis va-

letudinariis, aptæ; sed etiam fomentis, cataplasmatisque uniuntur commode. A quibusdam lignum radicis, trunci ligno, minus odorario, præfertur, imo pro succedaneo ligni Lauri Sassafras habetur.

Praep. *Roob bacc. Jun.* — *Infus. bacc. Jun.* — *Spec. turion. Pini comp.*

IUNIPERUS SABINA.

Sabina. Донской или козацкой можжевельникъ. Folia.

Cl. Dioec. O. Monadelph. O. N. Coniferæ. Fruticosa, hortensis, locis excelsis Sibiriæ spontanea.

Qual. Eximia, a copioso volatili oleo dependens. *Odor* hircosus; *Sapor* acris, subamarus.

V. Stimulans, menagoga, diuretica, diaphoretica, antispasmodica, anthelminthica, corrodens.

Us. *Internus*: amenorrhoea atonica, podagra; *Externus*: psora; tinea; ulcera fungosa; gangræna; verrucæ; condylomata; odontalgia; idque forma pulveris, decocti, infusi, aut cataplasmatis. — Pulvis, cerebri fungis, et ossibus cariosis, recte inspergitur.

PRAEP. *Infus. summitat.* — *Pulv. Iunip.* s. *Pulv. Superfulph. Alum. et Potass.*

KINO.

Gummi Kino. Gummi rubrum adstringens Gambiense, FOTHERGILL. Gummi-resina, obscura; haud desunt, qui existimant esse succum Eucalypti resinosæ spissatum; alii autem extractum Coccolobæ uviferæ sibi persuadent.

Africana.

QUAL. Præstans: in tanino residens, styptica.

V. Valde adstringens, antiseptica, roborans.

Us. Pulveris vel infusi *interne* et *externe*: hæmorrhoea; hæmorrhagia; blennorrhoea; diarrhoea; leucorrhoea; dysenteria; lienteria; metrorrhagia. Amaris juncta, febribus intermittentibus opponebatur. *Extrinsecus* injectione, ulceribus saniosis, medetur.

Dos. Pulveris a granis decem ad scrupulum. *Extractum Tormentillae* erectæ (a SCHWENSONIO factum) huic æquiparabile, idque in repositoriis haberi debet.

Praep. Tinctura cum alcohole diluto parata, ad semunciam danda. *Pulv. Sulph. Ferri et Kino.* — *Vin. lusitanic. artefact.*

LAURUS CAMPHORA.

Camphora. Камфора.

Substantia concreta, resinoso-oleosa, subpellucida, splendens, friabilis, summe volatilis, in sordidis deformibus glebis, per Batavos allata, atque ab iisdem nova, uti videtur sublimatione, calcis ope, per se extinctæ et dilapsæ, depurata et in orbiculares massas, infra concavas, coacta Camphorae insignita nomine.

Cl. Enneandr. O. Monog. O. N. Oleraceæ. In India orientali nominatim Java, item Capite Bonæ Spei, haud secus, ac in Japonia occidentali et contiguis insulis Saikokf, Nipon, aliisque, præsertim in provincia Satsuma, arbos vulgaris; in hypocaustis vero hortorum Europeorum florens interdum.

Qual. Egregia, in principio residens volatili. *Odoris*, est fragrantissimi, penetrantis ad Rosmarinum accedentis; *Saporis* calidissimi menthæ piperitæ æmuli, linguam et fauces penetrantis.

V. Stimulans, nervina, diffusibilis, resolvens, sudifica, antiseptica, antispasmodica, anthelminthica.

Us. *Interne*: quod de plerisque volatilibus stimulantibus prædicatur, id de Camphora quoque in universum dici potest, in omnibus nempe formis, gradibusque febrilis et chronicæ debilitatis utilitas ejusdem emicat. In genere calorem in corpore auget, idque ad sudorem præparat, quin arteriarum micatus auctiores reddat. In principio vires vitæ excitat; in statu autem morboso actiones abnormes sedat, nec minus dolores a spasmis.

Dum pulsus est durus et contractus, propinata Camphora fit mollior; in deliriis quum Opium irrito conatu adhibetur, Camphora placidum arcessendo somnum juvat; nominatim vero in omnibus asthenicis febribus, ut putridis vulgo dictis, petechialibus, aliisque exanthematicis, ut variolis, morbillis, purpura, vel scarlatina ob fatiscentiam virium, subito retrocedentibus, atque ad cutem resuscitandis, languenti horum exanthematum eruptioni utilem stimulum subdendo. Sic et psora infantum, perfrictio-

ne, vel intempestiva inunctione retrogra-da, si eclampsiam excitavit, isque adfectus recens est, in pristinam hocce auxilio sedem restituitur, ROSENSTEIN. In catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis morborum formis, imo in dysenteria, si debilitati, spasmis, occurendum est, atque etiam transpiratio promovenda. In maniæ variis formis, PARACELSUS, FRIEWALD, et quidem auctiore dosi a drachma ad duas de die. Spasmos quoque et convulsiones compescit: hinc in epilepsia, CULLEN, HANNES, asthmate convulsivo, pertussi, chorea St. Viti, helminthiasi; in morbis viarum urinariarum et obscænarum partium, ut in priapismo, nymphomania, dolorifica mentulæ vel cunni tentigine stipatis; in inflammatione renum, ad sistendam irritantem Lyttæ vesicatoriæ vim, vel aliorum acrium diureticorum, ut Scillæ m. hinc profectam.

Vires sialagogas Hydrargyri, et drasticorum evacuantes infringit, QUINCY, BARRY, HUXHAM. Cum Sulphure, pictonum colicæ occurrit. In iisdem fere omnibus morbis Camphora *extus* admota, juvat, præsertim, si parti adfectæ, vel ejusdem

viciniæ stimulum quemdam imprimere subdereque expedit, quem in finem in variarum præparationum forma propinatur, et quidem, ad discutiendas sugillationes et inflammationes oculorum, laudatur, uti etiam in morbis a debilitate eorundem oriundis, morbosaque irritabilitate, per modum vaporum, fotus, unguenti etc. Unguentorum mercurialium ex Oxydis Hydrargyri paratorum efficacia, sæpius addita tantum Camphora, in inflammationibus chronicis enitescit; — in erysipelate per modum sicci fomenti, addita aromaticis herbis, nec minus in topicis catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis adfectionibus utilis, parte nimirum adfecta, panno laneo, vel gossypio, Camphora resperso, tecta. In variis internis spasmis, asthenicis inflammationibus, topica debilitate, paralysi, meteorismo etc. Camphora, Alcohole vel Æthere soluta, vel per modum unguenti irritantis, idoneum remedium. Gangrænam et sphacelum arcet; ulcera fungosa corrigit, morsuram insectorum lenit, etc. Medicina adeo valens, æque facile sine dubio insidias struere potest, ac prodesse, nisi provida cura evitentur

scopuli; hinc cavendum est ne colluvie in primis viis latitante detur, aut congestionibus ad superiores partes factis. Acutis, tutius instante crisi, aut præsente, et sub declinationem convenit.

Dos. *Interne*: pro ætatis, sexus, temperamenti, morbi differentia, variat. In universum convenit initium minoribus præbiis facere, nisi vis mali aliud urgeat; — in acutis febribus exigua grani unius dosi ad quatuor pluries per diem adquiescimus, in asthenicis ad decem, eaque sola datur per se pulverata cum saccharo, Alcohole, gummi Mimosæ niloticæ, etc. trita; vel cum Magnesia, vel cum Nitrate Potassæ, Opio, Moscho, conjuncta. In infusionibus stimulantibus, decocturis, in vino, Alcohole, Æthere sulphurico, vel eodem alcoholisato, Acido acetico diluto, emulsionibus e mucilagine gummi Mimosæ niloticæ, saccharo, albumine ovi, amygdalisque, parandis. Per modum pilularum cum extractis amaris, gummi-resinis, foetidis etc. Quoniam effectus ejus sunt evanidi, sæpius repetenda sunt præbia; in mania, majores exhibentur doses; circumspecte tamen ne, quod

fieri interdum adsolet, syncope, anxietas, nausea, vomitus, convulsiones, deliria etc. excitentur, qui effectus, vel mitigantur Opio, vel tolluntur.

Praep. *Acetum camph. — Aeth. sulph. alcohol. camph. — Tinct. Opii camph. — Alcohol. camph. Catapl. antisept. — Haust. guajacin. — Lin. camph. ammoniat. — Mist. camph. — Pil. guajac. comp. — Pil. Mur. hydr. oxydul. et camph. — Pil. Mur. hydr. oxydul. stibiatae. — Ung. opht. cuprat. — Ung. Tart. Stib. et Potass.*

LAURUS CASSIA.

Cassia lignea. . Cortex, flores.

Дикая корица.

In Indiis orientalibus, et Sinensi Imperio crescit.

* Qual. Ab oleo volatili repetenda. *Odor* fragrans; *Sapor* acris, aromaticus.

V. Stimulans, calefaciens, peptica.

Dos. Scrupulum ad drachmam.

Substituitur in promercio interdum cortici Lauri Cinnamomi, vel illi fraude interseritur, pro succedaneo ejusdem, licet sit debilior, recte habetur.

Praep. *Aq. destill. — Acid. sulph. aromat. — Dec. Cinchon. — Dec. Haematoxyli —*

Inf. Mim. Catech. — *Pulv. aromat.* — *Tinct. Mim. Catechu.*

LAURUS CINNAMOMUM.

Cinnamomum verum. Cortex. Корица.

Cl. Enneandr. O. Monogyn. O. N. Oleraceæ. Arborea in variis Indiæ orientalis, Americæque regionibus crescens.

Qual. Heroica: ab oleo volatili, quodei inest, dependet. *Odorem* gratissimum aromaticum spargit, et cum *Sapore* suavissimo, acriculum dulcemque, et leviuculum adstrictionis sensum conjungit.

V. Stimulans, cardiaca, roborans.

Us. Ob gratiam saporis, cortex, pro conditura eduliorum adhibetur; a medicis vero sæpe medicinis additur ejusdem virtutis, saporis quoque corrigendi gratia, idque in morbis atonicis, dyspepsia, anaphrodisia etc.

Dos. Pulveris, grana decem ad triginta.

LAURUS MYRRHA. Louveiro.

Cortex; Gummi-resina, Myrrha dicta, quæ ab aliis, Mimosæ cujusdam esse productum existimatur? Миррa или Смирна.

Cl. Enneandr. O. Monog. O. N. Oleraceæ. Arborea; Chinæ, Cochinchinæ littorisque meridionalis et orientalis maris Erythræi. Optima est, quæ e Troglodytitia Abyssiniæ provincia, adfertur.

Qual. Non ingrate odorifera, admòdum amara, et aromatica, sapida.

V. Stimulans, stomacho idonea, menagoga, antiseptica; secretiones quoque leniter movet.

Us. *Internus*, masticatæ Myrrhæ vel in alcohole diluto solutæ: Morbi pectoris atonici; phthisis; asthma pituitosum; catarrhus; amenorrhoea atonica. *Extrinsecus*: inspergitur pulvis ejusdem, ulceribus atonicis, cariosis, putidulis; quin gangræna adfectis. Nec Cynanchæ atonicæ, laxitati gingivarum, aphthis aliena.

Dos. Grana decem, scrupulum, semidrachma. Tincturæ: drachma.

Praep. *Tinct. Myrrhae. Mist. Myrrhae. ferr. — Pil. aloët. — Pil. Assae foet. comp. — Pil. Rhei.*

LAVANDULA SPICA.

Лeванда, Увѣчная трава. Flores.

Cl. Didynam. O. Gymnosp. O. N. Verticillatæ.

Suffruticosa, Europæ australis, hortensis.

Qual. Præstans, ab oleo volatili copioso, quod eidem inest, repetenda. *Odor*, fragrans, acceptus; *Sapor* subamarus, aromaticus, calidus.

V. Stimulans, nervos reficiens, roborans.

Us. In defectionibus animi; paralysi; tremoribus artuum affinibusque systematis nervosi morbis; ut etiam in aphonia, balbutie, laudes tulit; ast, meo arbitratu, tutius sacculis, et fomentatione *extus*, ad varias humorum stagnationes dissipandas, superdatur.

Praep. *Pulvis pro suffimento.*

LICHEN ISLANDICUS.

Исляндскій мохъ.

Cl. Crypt. O. Algæ. Perennis, in borealis Russiæ, nemorosis saxetis, perfrequens.

Qual. Eximia subamara, mucilaginosa.

V. Nutritia, subadstringens, roborans.

Us. Morbi pulmonum asthenici: phthisis; tussis; hæmoptysis; catarrhus chronicus; atrophia; cita alvus, dysenteria.

Dos. Alga, integra usualis, perraro adhibetur in pulvere; ast potissimum, vel lacte decocta, (prius tamen in grossum pulverem redacta) a duabus drachmis ad unciam in selibra, vel libra aquæ, vel lactis. Gelatina quoque fit ex eadem cochleatim administranda.

Praep. *Dec. Lichen Island.*

LINUM USITATISSIMUM.

Ленъ. Semina.

Cl. Pentandr. O. Pentagyn. O. N. Gruinales. Annua planta in agris seritur.

Qual. Mucilaginosa, oleosa; semina *Saporis* ingrate dulcis, mucilaginosi, unctuosi, *inodora.*

V. Emolliens.

Us. Decocti vel infusi: nephritis; pneumonia; catarrhus: tussis; dysuria; blennorrhagia; *externe*, forma clysteris: tenesmus. — Farina, apta cataplasmatis in cynanche, phlegmone. — Mucilago quoque cum aqua fervefacta, vel infusione, vel coctione, elicitur perfacile, quæ efficacia sua vix cedit, mucilagini Althææ off. seminum Plantaginis Psyllii, et Pyrus Cydoniæ, et gummi Mimosæ niloticæ, meritoque his in militari praxi substituitur.

PRAEP. *Oleum. Farina. Catapl. varia* — *Infus. seminum.*

LYTTA VESICATORIA. FABRICII.

Meloë vesicatorius LINN. *Cantharides* PH. R. Шпанскія мухи. Oblonga e viridi splendens, antennis nigris filiformibus.

CL. Insecta. O. Coleoptera. In regionibus calidioribus Europæ abundans; in Ruthenia vero in districtu Samarsky, et proximo Sergiewsky, dum Fraxinum, Ligustrum, Populum albam, Sambucum, Loniceram tataricam, quibus in primis delectatur, gregarie depascuit, legitur, atque, vel ope vaporum aceti, vel per immer-

sionem in eodem, morte adfecta, siccatur leviter. Minor, non ultra perpauca grana ponderans, integra non pulverulenta, recensque merito præfertur.

Qual. *Odor* et *Sapor*, nauseosus, teterrimus et piceus est.

V. Irritans, rubefaciens, vesicans. In minori dosi, diuretica, sudifica.

Us. In morbis viarum urinariarum asthenicis, et quidem in paralysi vesicæ; ischuria; incontinentia urinæ; in blennorrhoea chronica. Pro aphrodisiaco tantum abest, ut haberi possit, ut potius hoc scopo sumta, vix impune feratur. — Hydrophobiam eadem coërceri Werlhoffius magnæ existimationis vir, adseverat. Formula, quæ ad eum refertur, habet: granum Lyttæ vesicatoriæ, sesquigranum Muriatis hydrargyri oxydulati, et decem Camphoræ grana, gummi Astragali Tragacanthæ sufficienti quantitate excepta, et in æquales pilulas divisa. In pertussi, Sutcliff, Burton, tutissime, nonnisi sub declinationem, id est, ultimo stadio, arbitratu meo, convenit. An expectorationis causa, ut Chalmers (in peripneumonia) suasor est, exhiberi queat, dubito.

Morbis cutaneis a quibusdam cum successu opposita, ut herpetibus, lepræ etc. Mead, Brisbane. Tincturam Lyttæ, adversus herpetes, efficaciorem esse Simmons testatur. Nec defuerunt, qui in ipsis malignis, vulgo putridis, nervosisque febribus, uti etiam in hydropisi, multis eandem encomiis deprædicarent. Lytta vesicatoria vim suam potissimum, in vesicam et renes exserit, etsi, ut quibusdam placet, addita Camphora, tutius administretur; nihilo tamen secius, magna cura cavendum, ne malos effectus pariat, puta: nauseam, violentos evomitionis conatus, colicos dolores, molestam sitim, viarum urinæ inflammationes, ingentem lotii ardorem, mictum cruentum, exulcerationes intestinorum, animam foetentem etc. quæ incommoda, ubi præpostero consilio evenerint, reparari possunt, si emetico non est amplius locus, demulcentibus potionibus, seu illæ decoctiones fuerint, seu emulsiones vel lactis, vel olei, vel, ut quidam asserunt, camphorata emulsione. *Externe*: ut stimulans, vel rubefaciens, vel vesicans adhiberi potest: 1) ad intendendam nervosi systematis totius corporis actio-

nem, vel organi cujuspiam singillatim sumti. 2) ad diminuendam actionem morbidam, quorundam organorum, stimulum parti admovendo. In plerisque typhodibus morbis utilis, præcipue, si viscus quoddam, ut cerebrum, pulmones, jecur, adfectum fuerit, tum vesicatoria, etsi non laboranti admovenda parti, propius tamen ad illam superdantur; ubi vero organon quoddam obstructum, torpens, excitari expedit, tum parti ipsi imponendum irritans. Utilitas proinde talis modi irritantium emicat in primis in paralysi, malo ischiadico, rheumatalgia, item derivandi scopo in exanthematibus, metastasibus, apoplexia etc.

Dos. Perraro in pulvere datur interne; si tamen danda est, initium fiat a sexta grani parte ad dimidium, dein ad granum, et sic gradatim ad maximum gradum granorum quinque perveniendum; miscenda vero cum saccharo, ac præscripta dosis vicibus repetitis, suscipienda. In forma pilularum a grani $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{2}$ et granum.

Frequentissime in tinctura exhibetur a quinque ad quindecim guttas, idque cum emulsione amygdalina, vel aqua, sensim

adscedendo. Sub administratione ejusdem decoctiones mucilaginosæ, ptysanaria, emulsiones non sunt alienæ. Ad imminuendam Lyttæ acritatem additionem camphoræ quidam suadent; sed Nitra's Potassæ, et demulcens potio, aptior est huic fini.

Praep. *Emplastrum* et *Tinctura ejusdem.*

MATRICARIA CHAMOMILLA.

Chamomilla vulgaris. Ромашка. Flores.

Cl. Syngen. O. Polygamia superfl. O. N. Compositæ radiatæ. — Annua in Ruthenia australi spontanea.

Qual. A volatili oleo, principioque extractivo, amaro, dependens. *Odor* florum, fragrans, non admodum gratus; *Sapor* amarus.

V. Leviter stimulans, sudifica, antispasmodica, peptica.

Us. Febribus intermittentibus, diarrhoeis, dysenteriis, colicæ flatulentæ, denique podagræ, typho, gravibus utero mulieribus, puerperis, multis modis, apta esse censetur. *Extrinsecus* quoque, recte admovetur, forma balnei, clysteris, cataplasmatis, infusi, pulveris.

Dos. Florum: a semidrachma ad duas per se, in infuso, forma Theæ.

Cavendum est, ne flores hujus, cum floribus Anthemidis Cotulæ confundantur. Disconveniunt illi, tum odore, tum setacea palea in anthemidis cotulæ receptaculo, repertitia. Infusum tepidum promovet usum emeticorum, frigidum stomachicum est; oleum vero essentiale antispasmodicum.

Praep. *Infus M. Cham. cum Subcarbon. Potass. — Inf. per se. — Spec. aromat.*

MEL COMMUNE PURUM.

Mel virgineum. Медъ.

Ex cellulis nidi apis mellificæ suspensis sponte stillans.

Qual. Principio, ut verisimile est, privo acido succumque Sacchari officinarum crystallisatum æmulante nititur. *Odoris* est fragrantis haud raro plantas, e quibus legitur redolens, quod in taurica Chersoneso obtinetur apud nos, odoratius; *Saporis* est proprii, dulcis. Mel sub torridis zonis, quod mellificæ apes e narcoticis plantis legunt, est veneniferum.

V. Nutriens, resolvens, antiseptica, eccoprotica; *externe* maturans.

Us. Morbi pulmonum pituitosi; ulcera crurum scorbutica. Saccharum melli præferendum; subinde enim hoc dolores colicos, tormina etc. producit.

Dos. Uncia, duæ, ter de die.

Praep. *Cataplasma fermentans. — Catapl. pus maturans. — Mel despumatum.*

MENTHA CRISPA.

Мята.

Cl. Didyn. O. Gymnosperm. O. N Verticillatæ. Planta perennis Sibirica, in hortis colitur a Ruthenis.

Qual. Ab oleo volatili pendens: *Odor* fragrans fortis, non admodum gratus; *Sapor* aromaticus cum amaritie levi.

V. Stimulans, menagoga, resolvens, stomacho apta.

Us. Inflationem levat, hinc hypochondriacis, hystericisque, ructus excitando, utilis, nec proinde immerito, a Martiali ructatrix dicta. Colicos quoque dolores ex eadem causa ortos, mitigare fertur. *Extus* admota, dolores artuum a spasmo; lactis in mammis coagulum; ecchymoma; tumores frigidos discutit.

Dos. Infusi, uncia ad libram aquæ.

Praep. *Oleum. dest.* — *Aqua dest. Infusum herbae.* — *Spec. aromat.*

MENTHA PIPERITA.

Mentha piperitis. Перечная мята. Herba.

Cl. Didyn. O. Gymnospermia. O. N. Verticillatæ.

Perennis, in australi Russia hortensis.

Qual. Præstans: a volatili oleo camphorino derivanda. Gustata herba, mox aromaticum atque camphoraceum prodit *saporem*, et primum fauces, fervore quodam replet, insequente dein, haud ingrato frigoris sensu. *Odor* ejus fortis, non ingrate fragrans.

V. Stimulans, peptica, antispasmodica, resolvens.

Us. Febres asthenicæ, vomitu, cita alvo, colica flatulenta, hypochondriasi, hysteria, inflatione, ructibus etc. stipatæ; satyriasis; gastrodynia a spasmo etc.

Dos. In pulvere grana decem, ad scrupulos duos. Infusi: uncia ad libram aquæ. Aquæ: uncia ad duas. Olei: gutta ad tres, quinque.

PRAEP. *Oleum volatile. — Alcohol. — Aqua dest.*

MENTHA PULEGIUM.

Полѣй. Herba.

CL. Didyn. O. Gymnosperm. O. N. Verticillatæ.

Perennis Europæ australis.

QUAL. A volatili repetenda oleo, eadem ac Menthæ crispæ; acrior tamen.

V. Eadem, ut Menthæ crispæ.

US. Spasmis durante menstruatione, uti et pertussi olim ab Anglis opponebatur, quem in finem succum ejus ad unum cochleare commendavit BOYLE. Decoctura ejusdem edulcata in raucedine; infusum theæforme in asthmate laudatur, CHOMEL; infusum vero cum vino albo et limatura ferri præparata factum, pro certissimo et nunquam fallente emmenagogo habetur; HALLER.

PRAEP. *Aqua destill.*

MENYANTHES TRIFOLIATA.

Trifolium fibrinum. Baxma. Folia.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Rotaceæ. Perennis, locorum paludosorum et lacustrium, occurrit per omnem Rutheniam.

Qual. A principio extractivo amaro repetenda; *Odoris* nonnihil fatui; *Saporis* amarulenti, substyptici.

V. Roborans, subadstringens, anthelminthica, diuretica, majori dosi emetica, alvum ciens.

Us. Roborando in dyspepsia cacostomachum, non modo variis ejusdem topicis vitiis subvenit, sed etiam remotiora ex hujus labe pullulantia, medicatur, ideo hypochondriacis et hystericis adprime adcommoda, plurimas cum aliis amaris, similis naturæ remediis, communes exserens vires. Ideo febribus quoque intermittentibus, cuticularibus vitiis, scorbuto, chlorosi, leucophlegmatiæ, hydropisi apta. In Britannia succus ejusdem expressus, domesticum est apud ruricolas in foedis grassantibus exanthematibus scorbuticis, primo vere, Buchan. Verminantibus puellis,

opem tulisse certiori fide pronunciatur. Britanni, dum cerevisiam parant, persæpe amaritiei gratia, loco selibræ Humuli Lupuli, unciam foliorum Menyanthes trifoliatæ adhibent; idque per modum infusi, vel extracti administratur. *Extrinsecus* per modum clysteris, (Kaempf) subterdatur.

Dos. Infusi uncia ad libram aquæ; extracti, a decem ad triginta grana.

Comp. *Extr. amar.* — *Spec. turion. Pini comp.*

MIMOSA CATECHU.

Catechu. Gummi-resina, seu succus gummi-resinosus, decoctione ligni, et inspissatione parabilis.

Cl. Polygam. O. Monoec. O. N. Lomentaceæ. Arborea, Indiæ orientalis, provinciæ Bahar.

Qual. A principio tanino, peculiarique extractivo-resinoso adstringente dependens. *Sapor* subamarus, dein dulcescens, stypticus.

V. Roborans, adstringens, antiseptica.

Us. Pulveris vel tincturæ: Diarrhoea, dysenteria typhodes; hæmorrhoea. *Externe* Ulcera atonica faucium, aliarumque par-

tium, relaxatio uvulæ, hæmorrhagia, stomacace.

Dos. A scrupulo ad sesquialterum, vel majori quantitate, pro dosi.

Praep. *Tinctura.* — *Succus spissatus* (*vulg. extract*). — *Infusum.* — *Infus. cum Opio.* — *Pulv. Sulph. ferri et Kino.*

MIMOSA NILOTICA.

Gummi arabicum. Аравійская камедь. Succus fructus immaturi, expressus et inspissatus, et gummi, quod ex aliis etiam ejusdem speciebus, arboribusque variis, ut Swietenia febrifuga, Melia Azadirachta, et diversis speciebus Terminalium, obtinetur.

Qual. Gummi: nimis mucilaginosa, dulcescens, alimentaria, inodora; succi spissati, styptica.

V. Gummi: antiquitas emollientem, acritates involventem, tribuit. Succus: adstringens, roborans.

Us. Hanc ob causam, *interne* in aquosa solutione, tussi, pertussi, raucitati, paraphoniæ catarrhali, diarrhoeæ, dysenteriæ, tenesmo, stranguriæ, apta esse censebatur. *Extrinsecus*: congrua forma adhibitum

juvat, uti etiam erosis mamillarum papillis aliisque excoriatis inspersum, aut mucilagine iisdem illita, neutiquam frustratur. Commode quoque, injecto clystere, aut mollimenti, aut nutritus gratia, adhibetur.

Adcommodum est hoc gummi fortioribus medicinis vehiculum; præscribitur quoque, ut in vehiculis aquosis resina, gummi-resina, et olea iisdem admista teneantur. Succo, tum resolutionem alvi, quum sanguifluxum sistendi efficacia, adscribitur.

Dos. In pulvere et solutum, a drachma ad semunciam, in octo unciis aquæ. Cum vero misturis additur, dosis non debet duas excedere drachmas, evitandæ densitatis incommodæ, causa.

Praep. *Mucilago.— Acet. camph.— Dec. mucilag. — Haust. guajacin. — Haust. terebinth. — Inf. Mim. Catech. c. Opio. — Mist. Carbon. Calc. comp. — Mist. Cinchon. off. — Massae pilularum variae. — Pulv. nitrat. potass. comp.*

MOSCHUS MOSCHIFERUS.

Moschus. Мскусъ. Кабардинская струя.

Est substantia animalis unguinosa, fragrantissima, in folliculo oblongo, orificio exili prædito, prope umbilicum ante præputium sito, collecta, atque cum eodem simul exsiccata, granula nigricantia, refert, in textu celluloso deposita.

Cl. Mammalia, O. Pecora. Asiæ mediæ montes inhabitat, et in primis elevatiores ejusdem regiones, ut Altaicas alpes, montesque Thibetum a China dissociantes.

Qual. Egregia: *Odor* excitatissimus, ambrosiacus.

V. Excitans, quin excalfaciat, nervina, sudifica, antispasmodica, præcipue in cerebrum agit, facultatem cogitandi, sensationem et motus voluntarios intendens.

Us. In febribus asthenicis in genere, et in primis, singultu, subsultu tendinum, deliriis, etc. stipatis, in spasmodicis, organi singularis, vel totius systematis, convulsivisque morbis, ut in epilepsia, risu sardonico, Robael; in trismo infantum, tetano, pertussi, Bergher; in hydroce-

phalo convulsionibus stipato; in hydrophobia, colica pictonum, in exanthematibus atonicis retrogadis, ut variolis, HUXHAM; in epilepsia et mania ab exanthematibus retropulsis, in arthrodynia atonica, retropulsa, paralysi rheumatica etc.

Dos. Grana tria et amplius, omni vel alterna quaque hora. GREGORY in nervosis refractariolis adfectionibus ad semidrachmam propinavit. Quum in pulvere datur, aptum est ejusdem connubium, cum Valeriana off. Camphora, Saccharo, in forma pilularum vel boli, cum Opio, gummi-resina F. Asæ foetidæ, per modum misturæ, ope mucilaginis, sacchari, liquoris anodyni, teritur, atque cum aqua commiscetur.

Moschus Tunquinus, optimus, nempe e regno Thibetano adfertur, vesicam magnitudine ovi columbini replens, instructam cute, pilis radiatis, ex albo subfuscis, obsita. STÖLLER et REINICK, artificialem Moschum a se paratum, commendant, naturali, ut sibi persuadent, æquiparabilem, nos quoque parsimoniæ studiosi, artificiali nostro, locum in hac pharmacopoea dedimus.

Quidam tincturam Moschi præferunt, nec immerito; Alcohol enim, eidem solvendo adcommodatissimum est. Quæ habet Moschi drachmas duas, Alcoholis libram, commista, et per septimanam macerata, colataque, præbetur a drachma ad semunciam.

MURIAS AMMONIÆ.

Ammonium muriaticum dep. Ph. B. *Ammoniacum sal depuratum* Ph. R. Перечищенный нашатырь.

Linn. Cl. II. Mineræ, salia. Est sal neuter constans ex acidi muriatici 42.75, ammoniæ 25.00, et aquæ 32.25.

Paratur in Germania, Gallia, Aegypto; quin etiam nativum, montes ignivomi et Calmucorum regio, largiuntur.

V. Stimulans, resolvens, lotium, pituitamque movens, anthelminthica.

Us. Adversus febres, præsertim intermittentes, in eo præsidium esse fertur; sed tum cortici Cinchonæ off. ejus succedaneis, aliisque roborantibus eundem misceri oportere, quidam adseverant. Usu profecto cognitum est, adversus hypersthenicas febres, medicamentum esse valenti-

us; gastritidi tamen et enteritidi ob sensibilitatem adfectarum partium alienum.

Non desunt, qui eundem adversus physconiam abdominalem, amenorrhoeam, helminthiasin, chlorosin, rachitidem, longam alvi resolutionem, phthisin, hydropisin, morbum caducum, scorbutum etc. adcommodatum esse velint; non ubique tamen subscribente experientia.

Aptius admovetur *extrinsecus* forma lotionis, fotus etc. idque stimulandi causa ex aqua, aceto, aut alcohole, præsertim in discutiendis tumoribus frigidis, aquosis, mammarum ex lacte, ecchymomate, distorsionibus, luxationibus, contusionibus, obstructionibus glandularum mania, apoplexia a plethora, vulneribus capitis, urgentibus passivis inflammationibus, cephalalgia, phrenitide, angina pituitosa, ophthalmia etc. Ulceribus sordidis, gangrænæ, morbis cutaneis, præsertim psoræ utilis, PLENCK, ARNEMAN. Solutio ejus si, dum calet, superdetur, valentior est, HORN, nisi frigoris admovendi, ut in SCHMUCKERIANIS fomentis, inciderit necessitas.

DOS. A granis decem ad scrupulum; non tamen ultra duas drachmas datur.

In majori quantitate ventrem exstimulat. Modo in pulvere, modo solutus præscribitur; ast plerumque aliis commistus remediis. Juvat eundem saporis gratia cum saccharo vel melle vel extracto aut infuso Glycyrrhizæ vel syrupo quodam misceri. Nec additamenta neutrorum salium; ut Supertartratis aut Nitratis Potassæ aliena sunt.

Adjectio Camphoræ, Cinchonæ off. vini, extractorum amarorum, aliorumque stimulantium, vix ac ne vix quidem impune fertur, Horn.

Quoniam Murias Ammoniæ in promercio prostans, non tam purus sit, ad usus medicos depuratur sequenti modo:

Muriatis Ammoniæ q. l. pulveretur in mortario lapideo, solvatur in quinque partibus aquæ simplicis ferventis, filtretur, et in vase vitreo ad cuticulam vaporet in loco frigido reponatur, et crystalli inde enatæ, exsiccatæ serventur. Cum residuo, hicce labor eo usque repetatur, donec nullæ amplius crystalli surgant.

Praep. *Ammon. liq.* — *Carbon. ammon.* — *Cat. Conii m. ammoniat.* — *Cat. discut.* — *Cat. synap. acre.* — *Empl. Oxyd. Plumb. semiv.*

comp. — *Fom. comm.* — *Garg. Mur. ammon.* — *Sol. Mur. ammon. acetata.* — *Sol. Mur. hydr. oxydati.* — *Sol. Mur. hydr. oxyd. corrod.* — *Sol. Mur. hydr. oxyd. et ammon.*

MURIAS SODÆ.

Muria Fontana Linn. Cl. II. Mineræ, Salia. *Natrum muriaticum* Ph. B. *Sal communis* Ph. R. Поваренная соль.

Ex lacubus Chersonesi tauricæ, aliisque copiose obtinetur.

Qual. *Odor* nullus; *Sapor* salsus proprius.

V. Excitans, antiseptica, resolvens.

Us. Morbi cutanei; digestio ciborum promovenda; ad sistendum vomitum et hæmorrhagiam, hæmoptysin; sugillationes; vermes expellit; majori dosi, hæmatemesin cohibet. Per modum clysteris: obstipatio, a drachma ad semunciam; forma fotus: ecchymoma; Muriatis Sodæ, torrefacti calidi in sacculis: odontalgia; orchiocele hydropica, etc. forma balnei: in cachexiis, psora, rachitide, herpetibus.

Praep. *Acid. mur. concentr.* — *Aq. mar. artef. Aq. min. acid.* — *Cat. discut.* — *Cat. ferment.* —

Clysteres varii. — *Mur. hydr. oxydatus.* — *Sol. acid. mur. oxyg. vaporif.* — *Sol. alexiter. oxygen.* —

MYROXYLON PERUIFERUM.

Balsamum Peruvianum. Перувіанскій бальзамъ. Balsamum.

Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Papilionaceæ. Arborea, in regno Peruviano, Brasilia, Terra firma, Mexico, habitans.

Qual. *Odor* suaveolens; calefaciens, roborans. Virtus eadem.

Us. In phthisi pulmonali, diarrhoeis, dysenteriis, blennorrhoea antiqui laudant; in colica vero plumbea a 20 ad 30 guttas in saccharo, Sydenhamus exhibuit; sed *extrinsecus* majorem promittit utilitatem, læsis tendinibus, vel nervis, dum leniter calefactum, vulneri instillatur; vulnera ulceraque sordida.

Dos. Guttæ vj ad xxx. sæpius de die, cum vitello ovi, vel saccharo.

Praep. *Linimentum albuminis ovi.*

MYRTUS PIMENTA. Baccæ.

Ямайскій перецъ.

Cl. Icosandr. O. Monogynia. O. N. Hesperideæ, arborea Indiæ orientalis.

Qual. *Odor* fragrans, gratus; *Sapor* aromaticus.

V. Stimulans, calefaciens, stomachica.

Us. Aliis aromaticis carioris pretii, ut nuci Myristicæ, cortici Lauri Cinnamomi, floribus Caryophilli aromatici, recte subrogatur.

Dos. Grana quinque ad scrupulum.

Praep. *Aqua destillata.*

NICOTIANA TABACUM.

Folia siccata. Табакъ.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ.

In America perennis; annua vero apud nos, cultuque frequens.

Qual. Venefica, ab essentiali acri oleo narcotico derivanda, *Odore* gravi peculiari ingrato; *Sapore* vero acri nauseoso, conspicua.

V. Stimulans, narcotica, emetica, drastico cathartica, phthiroctona, sialagoga, diuretica.

Us. Infusi, vini, tincturæ: in hydrope, dysuria; calculosis stimulo suo, aut anodyna vi prodesse videtur. Adfectionibus spasmodicis asthenicis, ut hystericis, spasmis, colicis doloribus, pertussi, herniis incarceratis auxilio fuisse perhibetur, idque, vel injecto clystere, vel fumo. In asphyxia, clyster ex infuso injectus utilis. *Externe*: In psora, herpete, tinea, cum aqua saponacea, et pulverato carbone infusum tabaci recte conjungitur. Phthiriasin caute adhibita curat, ut et alvum pertinaciter adstrictam clyster solvit. — Fumus tabaci in pestilentia suetum remedium. Pulvis ejusdem, ubi sternutamenta evocari expedit, efficax; insuefactis tamen eidem irritus; odontalgiam sedat; scorbutum gingivarum masticata impedit.

Dos. A duabus drachmis ad semunciam, pro libra aquæ, vini; vel tincturæ, guttæ triginta et ultra, in hydrope, secunda quaque hora.

Praep. *Catapl. Nicot. T.* — *Clyst. Nicot. T.* — *Infus. Nicot. T.* — *Vinum. Nicot. T.*

NITRAS POTASSÆ IMPURUS.

Nitrum nativum. Селипра Lin. Cl. ii. Minerae, salia.

Est sal neuter, ex Acido nitrico et Kali constans, peculiari modo ex propriis excoctus terris, depuratus, crystallos effingens hexaëdras prismaticas. *Odoris* nullius; *Saporis* subamari, frigerantis.

V. Antiphlogistica, diuretica, antiseptica, etc.

Us. Febres sthenicæ, hæmorrhagiæ etc.

Dos. A sex granis ad duodecim, scrupulum, et in maxima dosi sua ad sex drachmas, spatio viginti quatuor horarum in plures exhibendus vices. Pro clysteribus quoque, gargarismis et fomentis in aptis solutus vehiculis, adhibetur.

Praep. *Acid. nitrico-nitros.—Mist. nitr. potassae. — Pulv. ejusd. comp. — Sol. acid. nitr. vaporifera. — Sol. acid. arsenicos. et nitrat. potass. — Succ. V. Oxycocci c. nitr. potassae.*

OLEA EUROPEA.

Olivum, *Oleum olivarum*. Seu oleum fixum, expressione fructus paratum. Деревянное масло.

Cl. Diandr. O. Monogynia. O. N. Sepiariæ.

Arbor Europæ australis, et Africæ septentrionalis.

Qual. Oleosa, olivum pallide e fulvo virescens, inodorum, *Saporis* blandi quin gustatu rancidum sentiatur ad 36 therm. Fahrenheit. vel 2 Reaum. congelascens.

V. Emolliens, alvum liquans, anthelminthica, involvens.

Us. Olei, in dysenteria et tenesmo rarius, in nephritide, stranguria, enteritide, colica pictonum, et id genus aliis, sæpius respondet; vermes. Acrium stomacho, vel interaneis incaute insertorum vim noxiosam, involvendo, frangit. *Extrinsecus*, calidum, corpori frictione admotum, donec sudor motus fuerit, pestilentiam et febrem americanam flavam arcere, morsiunculas, apum, vesparum, aliorumque insectorum, imo ictum ipsius viperæ, mitigare, enervareque, quidam medici per-

hibent. Oleo Ricini communis e seminibus, olivum, dum sincerum, leviorisque pretii est, merito præfertur.

Dos. Vel ipsum olivum per se unciatim, et ultra, vel sæpe sub forma emulsionis ad demulcendum, per unionem cum aqua ope mucilaginis gummi Mimosæ niloticæ, cui sæpe ad conciliandam gratiam, vel saccharum, vel mel, vel syrupus quipiam additur, atque in dosi duarum drachmarum, ad duas uncias adhibetur.

Praep. *Oleum expressum*, ingreditur *cerata*, *linimenta*, *unguentaque varia*. — *Haust. saponac.*

ORCHIS MORIO. Radix.

Radix Salep. Кокушкины слезы.

Cl. Gynandr. O. Diandr. O. N. Monocotyledones.

Qual. Mucilaginosa, eximia.

V. Nutriens, involvens.

Us. Diarrhoea, dysenteria, hecticæ febres, morbi viarum urinariarum; mucilago quoque ex eadem fit.

Dos. Drachma ad duas pulveris ad libram aquæ in decoctu.

Praep. *Decoctura radicis.*

ORIGANUM VULGARE.

Душица, материнка. Herba.

Cl. Didyn. O. Gymnosp. O. N. Verticillatæ. Perennis in locis montanis, nemorosis, siccis, et ad margines dumetorum creberrima.

Qual. Ab oleo volatili copioso repetenda. Proprio fragranti, gratoque *Odore* nares; *Sapore* vero acriculo, subamaro, aromatico, linguam feriunt folia; tinctoria.

V. Nervina, stimulans, resolvens.

Us. In asthmate, tussique sine febre, virtus ejusdem explorata; in phthisi quoque pituitosa a quibusdam cum successu exhibebatur, nec minorem foeminis quoque, quibus sanguis per menstrua non respondet, præstitisse vim fertur. Frequenter ad epithemata discutientia, et balnea roborantia recipi solet; in oedematibus aliisque malis exotericis et quum evidens aroma habeat, non male exoticis stirpibus cognatis præfertur. Folia siccata, aqua rite perfusa succedaneum Theæ Boheæ non ignobile præbent.

Praep. *Spec. aromat.*

ORYZA SATIVA. Semina.

Сарачинское пшено.

Cl. Hexandr. O. Digynia.

Annua, Æthiopiæ incola; in australi vero Europa, cultu perfrequens.

Qual. Mucilaginosa, farinacea, insipida, inolens.

V. Nutritia, leniter adstringens.

Us. Præter cibarium, in diarrhoea, dysenteriaque, dato pro re nata, vel ptysanario oryzæ, vel alia forma laudatur. Ex eadem quoque et Alcohol paratur.

OXYDUM MANGANESII NIGRUM.

Magnesia vitrariorum. Марганецъ.

Venale prostat.

Us. Pro parando Acido muriatico oxygenato, in primis adcommodatum. *Extrinsecus* in modum unguenti in cutaneis morbis: scabie, tinea, herpetibus, utilis esse censetur.

Dos. Drachma ad unciam adipis Suis scrofæ.

Praep. *Acid. muriat oxygenat. — Vapores oxymuriat. acidi.*

OXYDUM PLUMBI ALBUM.

Cerussa, Calx plumbi alba. Oxycarbonas plumbi. Бѣлилы. Venale prostat.

E plumbo vaporibus vegetabilium acidorum exposito, aut iisdem soluto conficitur. — Sit album, ponderosum et gustatu dulce, sub forma lamellarum friabilium, quod est sincerissimum, illique sub forma panum conoideorum, charta involutorum, prostanti, vel Veneto vel Belgico, merito præferendum, in variis Rutheniæ locis præcipue in Iaroslaw paratur.

Qual. *Odoris* est cretacei, *Saporis* adstringentis.

V. Exsiccans, discutiens.

Us. Destinatur tantum ad *externos* usus, præcipue in excoriationibus integumentorum ab acri humore productis; speciatim vero ad curandas infantum partes lotio arrosas; sed monemur a magnis viris, præparationes plumbi, extrinsecus quoque admotas, fuisse damnosas. Hinc tantum caute, præsertim ineunte ætate, adhiberi debet.

Praep. *Oxydum plumbi alb.*

OXYDUM PLUMBI SEMIVITREUM.

Lythargyrum. Глетъ. Venale prostat.

Qual. Venenifera, nervoso systemati insidias struens.

V. Sedativo-adstringens, exsiccans.

Us. Ad præparata et compositiones varias; præsertim vero conficiendis emplastris, prius in subtilissimum pulverem redactum, maxime idoneum.

Praep. *Empl. ejusdem nominis.*

PAPAVER SOMNIFERUM. Макъ.

Capsulæ seminales. — Succus gummi-resinosus, incisione, vel expressione capsularum seminalium immaturarum obtentus Opium dictus.

Cl. Polyandr. O. Monogynia. O. N. Rhoeades. Annua Aegypti, et Asiæ meridionalis; Europæ hortensis.

Qual. Heroica; a principio narcotico cum gummi-resinoso volatili juncto derivanda. *Odor* virosus, teter; *Sapor* acris, amarus, nauseabilis.

V. Excitans, narcotica, nevrantistasin sedans, sudifica, cardiaca, majori dosi, soporifera; magna vero; lethifica. Effectus

sedans est longe major, quam irritans, cui ille statim subsequitur.

Us. Nevrantistases, id est, reactiones vis vitæ præternaturales: dolores omnigeni, ut cephalalgia, odontalgia, omne genus colicæ, præter flatulentam, præsertim in connubio aliorum. Mitigat quoque dolorem et febrem symptomaticam post vulnera, fracturas, adusta. Febres intermittentes non inflammatoriæ indolis, earumque varia stadia, imo etiam in apyrexia, opium recipit. Cum parva videlicet Cinchonæ off. quantitate, adeo iisdem proficuum est, ut nec hydropem, nec obstructionem viscerum post se trahat. Utiliter adhibetur, ubi febrientes, insomnes ducunt noctes, citaque laborant alvo; sin minus, vix utile esse potest, quum alvum adstringat, sitimque producat, et aliquas secretiones et excretiones minuat. In morbis inflammatoriis, ut phrenitide, ophthalmia, pneumonia, angina spasmodica, gastritide, hepatitide, enteritide etc. Opium cum Muriate Hydrargyri oxydulato et camphora junctum, activis inflammationibus esse adcommodatissimum censetur. Spasmi, convulsiones: in spasmo maxil-

læ inferioris cynico, et opisthotono, a longioribus ejus dosibus, egregios vidit effectus MACAULAY, HUCK, uti etiam in trismo a vulneribus, BERENDS; in pertussi WEICKARD etc. Tussis ex acri tenui, cholera, dysenteria atonica, diarrhoea, lochia dolorifica, et hæmorrhagiæ ab irritatione locali aut spasmo, menstruatio dolorifica, blennorrhagia, tumor epididymidis, vel testiculi syphiliticus, ulcera syphilitica rebellia, phagedænica, gangræna senilis et in primis extremarum partium etc. usu Opii curationem recipiunt.

Externus: Per modum fomenti, linimenti, clysteris; syphilidis quædam symptomata mitigat, noxas ex usu Hydrargyri ortas, corrigit, virui delendo impar; abortui, doloribusque a conamine ortis remoram ponit; imo etiam hæmorrhagiam abortu motam, sistit.

Dos. Quantitas præbii pro ratione individui, ætatis, sexus, idiosyncrasiæ, habitus, variarumque circumstantium rerum, differt. Effectus ejusdem stimulantes magis emicant, propinatis sæpius parvis dosibus; anodynæ vero, majoribus. Quod deplerisque omnibus valde stimulantibus;

præsertim vero sic dictis narcoticis intellectum esse volumus, id etiam de Opio, id est: id ab $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{4}$, grani, initio facto, dari debere, atque usque ad granum, quæ quantitas, vix sine noxa, excedit.

In chronicis morbis, quibus laborantes, facile adsuefiunt opio, atque in variis sævis, ut tetano, trismo, catalepsi, ad scrupulum et ultra propinari potuisse, usu cognitum est. Interdum, granum vel plura, singula semihora, vel hora, repetuntur, atque per vices cum majoribus stimulis, ut Camphora, Moscho, æthereis oleis etc. propinantur, sed hæc augmenta, nonnisi per gradus cautissime facienda sunt. Quum datur in pulvere ad faciendam facilius, tutiusque æqualem ipsius partitionem, cum saccharo, pulvere Glycyrrhizæ gl. aut aliis substantiis idem conjungi oportet; cum vero in massa pilularum præscribitur, aut in aliquo electuario, tum antea solvendum est, aliqua vini copia, aut aliquo syrupo, vel alio fluido, quod præparato congruum, ut ejus partitio accurata in massis fiat. Adstringentibus, salibus metallicis, carbonatibus alcalinis, ut usu cognitum est, præcipitatur Opium,

hinc, quum his idem addi expedit, modi, quo administretur, ratio habenda.

Praep. Opium, quod sequentia ingreditur. *Pil. Mur. hydr. oxydul. et Camphorae.* — *Easdem stibiatas. Pulv. C. Ipecac. c. Opio.* — *Tinct. Opii, eandem ammoniatam, et camphoratam.*

Capsulae seminales vid. *Spec. Althaeae comp.*

PHASIANUS GALLUS.

Gallina domestica. Курица.

Ova, albumen eorundem, vitellus, testæ.

Cl. Aves, O. Gallinæ.

Qual. Albuminis et vitelli; oleosa, mucilaginosa, gelatinosa. Testæ, antacida.

V. Ovorum: nutriens.

Us. Vitelli per se, aut cum saccharo, vel forma linctus, aut emulsionis: morbi ventriculi ex acido. Vitellus unus, vel duo, omni mane deglutiti, icterum curant, White.

Praep. Vide *catapl. aluminosum*; — *linimentum albuminis ovi.*

Vitellum cum gummi-resinis trituratur ut faciliùs solvantur.

PIMPINELLA ANISUM.

Anisum. Анисъ, Ганусъ. Semen.

Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellatæ.

Planta annua in Ægypto, Syria, aliisque regionibus orientalibus; apud nos colitur copiose.

Qual. In volatili oleo non acri sita; *Saporis* dulcescentis, aromatici; *Odoris*, virosi, fragrantis.

V. Stimulans, lactifera, resolvens.

Us. Pulveratorum seminum: inflatio; pituitosæ pulmonum adfectiones asthenicæ. Olei: rheumatalgia.

Dos. Pulveris, scrupulum, semidrachma pro infusis in connubio aliorum; Oleum, a guttis decem ad semidrachmam pro dosi, exhibetur.

Praep. *Oleum. destill. Infus. fol. C. Sennae.*

PINUS ABIES.

Abies. Ель. Summitates; resina granulata incisione corticis obtenta; resinasolida, vulgo Pix navalis.

Cl. Monoecia. O. Monadelph. O. N. Coniferæ. Arbor in borealibus Europæ et Asiæ crescens.

Qual. Summitatum: resinosa: *sapor* acescens, resinosus. Resinæ, *Sapor* sat gratus, subamarus; *Odor*, fragrans.

V. Excitans, sudorem et lotium movens.

Us. Decocti summitatum: morbi cutis. Resinæ fusæ cum sebo externe: lepra ichthyotosis, Cullen.

Praep. *Resina fusa per linteum colata, vulgo Pix burgundica; resina adjecto cocta aceto ad siccitatem usque, vulgo Colophonium.*

PINUS LARYX.

Лиственница. Balsamum Pini Larycis, resina liquida, terebinthina veneta.
Терпентинъ.

Cl. Monoecia. O. Monadelph. O. N. Coniferæ.

Qual. Resinosa.

V. Diuretica, stimulans, lotium odore violaceo imbuens.

Us. Emplastra, unguenta, oleum Terebinthinæ.

Praep. *Olemu destill. — Oleum. Catapl. antisept. — Lin. ammoniato-terebinthi. — Lin. resinoso tereb. — Lin. sulphurico-tereb. — Sapo terebinthinatus. Balsamum. Clyst. terebinth. —*

Empl. gummi-resin. — *Haust. tereb.* — *Pil. suboxydi hydr.* — *Ung. suboxydi hydr.*

PINUS SYLVESTRIS.

Сосна. Turiones, сосновыя шишки. Resina alba liquida, perforatione aut incisione arboris obtenta, Balsamum Pini sylvestris, простой терпентинъ, dicta.

Cl. et O. atque O. N. præcedentis.

Qual. Resinosa, amara, acris.

V. Exsiccans, lotium, sudoremque movens, depilatoria.

Us. *Internus*: rheumatalgia, blennorrhoea, scorbutus. Decocti turionum, vel balsami Pini sylvestris: morbi cutis, herpes. *Externus*: balsami Pini sylvestris, forma clysteris: alvus adstricta; forma unguenti vel emplastri: ulcera atonica.

Dos. Turionum: semuncia ad libras duas aquæ vel seri lactis, cocta, de die; Balsami Pini sylvestris: semuncia, vitello ovi subacta cum aqua mista pro clystere. Interne grana quinque decem, ovi vitello vel saccharo subacta.

Praep. *Balsamum Pini sylvestris exsiccatum, ignis calore, vulgo Colophonium.* — *Resina nigra s. Oleum empyreumaticum per descensum, destil-*

latione obtenta, fumo inquinata liquida, vulgo Pix nigra liquida, дегоmь. — Extractum turionum pini. Balsamum liquidum, terebinthina communis, dictum. Oleum destillatum, oleum tereb. vocatum: Balsamum. *Empl. gummi-resin. — Ung. resinos.* Balsamum exsiccat. *Empl. Simpl.—Empl. T. meliloti — Ung. resin.* Oleum empyreumat: *Pil. piceae. —* Idem exsiccat. *Ung. picis arid.—*Destillat. *Sapo terebinthinatus.*

PIPER LONGUM.

Fructus. Пе́рецъ.

Cl. Diandr. O Trigyn. O. N. Piperitæ.

Planta frutescens, sarmentosa, in variis Indiæ orientalis regionibus habitans.

Qual. In principio quærenda- resinoso et cinchonino Thomson. Acris, aromatica.

V. Incitans, stomacho imbecillo apta, calefaciens, inflationes levans, pituitam, salivamque movens, phthiroctona.

Us. Stomachi languor, dyspepsia, vertigo ab eadem causa, haemorrhois mucosa. *Externe*: uvulæ relaxatio, pediculi.

Dos. Perraro in pulvere ab octo ad de-

cem grana. In pituitosa ventriculi atonia in vino diffusum.

Praep. Pulv. aromat.

PIPER NIGRUM.

Piper rotundum. Черный перецъ. Fructus.

Cl. et O. ut et patria, Qual. Virt. Ususque eadem, quæ præcedentis.

Praep. *Pulv. aromat.*

PLUMBUM. Свинецъ.

Plumbum nativum Linn. Cl. II. Minerae, Metalla. Est metallum ex albo cærulescens, ductile, molle, via sicca, facile oxygenium adtrahens, et acido acetico nuptum subdulci sapore præditum. *Odoris* et *Saporis*, metallici peculiaris.

V. Adstringens, siccans.

Us. Ad varia præparata, videsis: *oxydum Plumbi album.*

POLYGALA AMARA.

Изтодъ горькій. Radix, folia.

Cl. Diadelph. O. Octandr. O. N. Lomentaceæ. Subperennis, in nemorosis montibus.

Qual. Radicis: subdulcis, subamara, foliorum: *Sapor* amarulentus.

V. Radicis et foliorum: leniter stimulans, roborans, stomacho apta, expectorans.

Us. Radicis: morbi pulmonum atonici; phthisis pituitosa, in connubio in primis Lichenis Islandici; pertussis etc.

Dos. Radicis pulveratæ, semidrachma bis terve; decocturæ radicis uncia ad sesquilibram aquæ de die, per duas uncias ter quaterve sumendæ.

Praep. *Decoctura radicis.*

POLYPODIUM FILIX MAS.

Солошковый папоротникъ.

Cl. Cryptogam. O. Filices. Perenne in nova Russia trans Borysthenem, et alibi, spontanea.

Qual. *Inodorum*; *Sapor* initio dulcis, dein nauseose-amarus, stypticus.

V. Anthelminthica.

Us. Tænia lata et cucurbitina, lumbrici, præcipue in aliorum connubio.

Dos. Pulveris grana triginta ad drachmam infantibus; drachmæ duæ, tres, adultis.

PRUNUS DOMESTICA.

Fructus, pulpa.

Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Pomaceæ.

Arborea in australibus Rutheniæ Europææ et Asiaticæ regionibus, crescens.

Qual. *Sapor* dulcacidulus, a principio mucilaginoso et saccharino repetendus.

V. Frigerans, alvum ducens.

Us. Febres inflammatoriæ, hepatemphraxis, alvus adstricta.

Dos. A tribus unciis ad selibram decocti fructus cum foliis Cassiæ Sennæ, Supertartrate Potassæ, vel Rheo palmato, addito aromate et id genus aliis remediorum adminiculis. Pulpa a duabus unciis ad tres commode præscribitur in electuariis, additis præsertim aliis, si vires remedii intendere placet.

Addito huic, acido tartarico crystallisato, obtinetur massa pulpæ fructus Amlicæ Indicæ (Tamarindorum) analoga, quæ utpote parabilis commode, et ubique, merito præfertur illi majoris dispendii, et adulterationi subjectæ, præsertim ubi præscribi eandem oportuerit militaribus præ-

fectis. Pro succedanea quoque fructuum pulpæ Cassiæ Fistulæ habetur, ut proinde unius indigeni remedii usu, dispendium duorum exoticorum tuto vitari queat.

QUASSIA AMARA.

Quassia excelsa. Квассія. Lignum.

Arbor, Cayennæ, Surinamiæ, Jamaicæ, Carybearum insularum etc. incola.

Cl. Decandr. O. Monogynia. O. N. Gruinales.

Qual. Fere *inodora*; *Saporis* intense et pure amari, corticis ligni, amarioris.

V. Tonica, quin irritet, adstringat, nauseam moveat, alvumque ducat, hinc ob certos præstitutos fines, ceteris amaris subinde præferendum remedium. Præterea anthelminthica quoque et antiseptica eidem facultas merito adscribitur.

Us. Debilitas stomachi, dyspepsia, febres intermittentes, diarrhoea, dysenteria, arthritis retrograda, colica arthritica, sudores phthisicorum foetulenti, hyperæsthesia, helminthiasis. Idque, aut decocti (melius infusi) cum vino, vel aqua, triturando, vel extracti forma, adhibetur.

Dos. Pulveris, grana decem; rarius tamen in hac forma. Drachma ad semunciam in libra, vel aquae, vel vini infusa cochleatim propinatur. — Extractum, forma misturæ, pilularum, a quindecim granis, ad scrupulum, recte datur.

Praep. *Infus. ligni.*

QUERCUS CERRIS.

Excrescentia a punctura insecti lepidopteri, (Cynips quercus dicti) cujus nidum constituunt gallæ (Gallæ turcicæ) vulgo dictæ. Чернильные орѣшки.

Cl. Monoec. O. Polyandr. O. N. Amentaceæ. Arbor in Russia australi perfrequens.

Qual. Eximia styptica, a tanino principio, et acido gallico repetenda.

V. Adstringens, roborans.

Us. *Externe:* utiliter adhiberi possunt, maxime in infuso aquoso, tam ipsæ per se, quam cum aliis commistæ adstringentibus præsertim in blennorrhoea, varice ani, prolapsu, forma unguenti: in hæmorrhoidibus mucosis; gargarismi: etiam apta est.

Conficiendo quoque atramento idoneæ. In usum medicum seligendæ sunt exiguæ molis, ponderosæ, compactæ, aculeatæ.

Praep. *Decoctura gallarum ad clyst. adstring. c. Opio.*

QUERCUS ROBUR.

Quercus. Дубъ. Fructus seu glandes, cortex, folia, cupola glandis.

Cl. et O. præcedentis. Arbor Russiæ australis incola.

Qual. *Odor* fere nullus; *Sapor* stypticus, acerbitate permistus.

V. Adstringens, roborans, alvum comprimens.

Us. In pulverem difficulter tenuatur, ac proinde hac in forma interne vix dari potest commode per se. Decocto aquoso, debilitas, intermittentes febres, blennorrhoea, diarrhoea, hæmorrhoides mucosæ curantur. *Externe*: foliorum, corticis, cupolæque glandis ex vino rubro, vel aqua decoctorum, forma gargarizationis, fomenti, injectionis, utilitas, in relaxatione uvulæ, prolapsu recti, vaginæ, cynanche atonica, gangræna, (saturæ decoctionis) immo in leucorrhoea, blennorrhoea, hæmorrhoea, emicat. Cortex in pulvere sacculis lineis conditus, vino immersus, atque herniis superdatus, præsertim ægrotorum teneræ-

ætatulæ in remediis pollet. Glandes tostæ, per modum Cinchonæ præscriptæ, adjutabilem præstitisse operam perhibentur.

Dos. Uncia ad libram aquæ, cochleatim sumenda datur. Pulveris cupolæ glandis semidrachma propinatur. Nonnulli torrefactas glandes a semidrachma ad tres drachmas adinstar coffeæ ad colaturam circiter unciarum octo dant. Pro succedaneo Cinchonæ habetur.

Praep. *Dec. cortic. Quercus R. aluminosa.— Pulv. c. Salic. comp. Pulv. c. Quercus et Anthem. n.* —

RHEUM PALMATUM.

Rhabarbarum verum. Ревень. Radix.

Cl. Enneandr. O. Trigyn. O. N. Oleraceæ. Planta perennis, septentrionalis Asiæ, passim hortensis.

Qual. Lutea, a principio mucilaginoso, extractivo tanino et volatili salinoque peculiari (Oxalas Calcis) inprimis derivanda. Eo autem major Oxalatis Calcis, continetur copia, quo antiquior est radix, quæ pulverata, criterium est tutum pro dignoscenda præsentia cujuscunque portio-

nis alcali liberi in omnibus corporibus. — Radicis recentis *Odor* nauseoso - aromaticus; *Sapor* amaro - adstringens.

V. Cathartica, anthelminthica, peptica, roborans.

Us. In acido primarum viarum, inflationibus a debilitato ventriculo, immo, ortis hanc ob causam colicis doloribus; uti etiam hystericis hypochondriacisque convenit.

Minoribus exhibita dosibus, cita alvo laborantibus, prodest. In dysenteria sub finem, subductis videlicet cruditatibus, remittente dolore ex inflammatione utilitatem promittit, commendatur quoque contra aphthas, uti etiam (Riverius) contra lumbricos et vermina. — Plethoricis, febrientibus, obstipatione sæpius laborantibus et profluviis sanguinis congestionibusque obnoxiis, aliena esse censetur. *Extus* pulvere rad. Rhei p. putidula ulcera, non inepte resperguntur.

Dos. Pulveris a scrupulo ad duos; minori vero in dosi aliis catharticis recte conjungitur. Sæpe aroma quoque utiliter adjicitur.

Praep. *Infus. radicis.* — *Pilulae Rhei p.* — *Tinct. Rhei amara. Dec. Cinchon. off.* — *Pulv. Rhei p. et Mur. hydr. oxydul.* — *Pulv. supersulph. Alum. et Potass.*

RHODODENDRON CHRYSANTHUM.

Кашкара, шабина трава, келарскъ, черногривъ, пьяная трава. Stipites et herba.

Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Bicornes.

Fruticosa in nivalibus alpibus jugi Sajanensis ad Jeniseam fluvium, in alpium elatioribus inter Sibiriam, et Dauriam, in alpestribus elatioribus ad lacum Baikal, in Kamtschatka quoque et insula Beringia, tam in elevatis rupestribus, quam depressis muscosis, ad radices montium et stagna. In alpinis pedali minor, in depressioribus sesquipedalis.

Qual. A principio extractivo amaro, adstringente, narcoticoque derivanda. *Odor* siccorum, ad odorem Rhei paulum inclinans. *Sapor* austerus cum notabili acritate et amarore, stypticus.

V. Narcotica, sudifica, adstringens; fere instar Ledi.

Us. Infusi: arthrodyniæ arthriticæ, ZAHN, utì et doloribus artuum syphiliticis profuit, quin tamen in Dauria, in usum tracta, virus sufflaminarit. Ischiadi esse imparem tollendæ ex singulari casu, adnotavit KOELPINUS; PALLASIUS vero, virum diuturna ischiade laborantem, usu ejusdem esse sanatum refert. An tussim et screatus, ex malo pectus occupante, ut quidam volunt, levet, experiri expediet. Sylvicolis Tataris, Sijanensis jugi accolis, adinstar Theæ, quotidiano usu, ut sibi persuadent salutari, venit. Utilitatis quoque ex applicatione *externa*, documenta nonnulla adsunt: in ulceribus crurum, rigiditate articulorum post podagras, in tumoribus canceraticis et scirrhosis mammarum (BÜTZOW), contractura, paralysi etc.

Pulvis in Sybiria, sternutamentorum evocandorum ergo, quum catarrho vel cephalalgia laborant, naribus adtrahitur a ruricolis.

Dos. Drachmæ duæ stipitum et foliorum, vel semuncia ad uncias novem vel libram aquæ calidæ, per viginti quatuor horas in vase obturato digesta; hujus in-

fusi mane unciæ duæ sumuntur. Curæ providæ est, infusum pro re nata, vel saturatius, vel debilius adornari, aut dosin minuere præbiaque aut si opus intercapedinem sumendi facere, ad avertendas noxas, quæ ex usu ejusdem suboriri queunt.

Praep. *Dec. herbae.*

ROSA CENTIFOLIA.

Rosa damascena. Роза. Petala.

In hortis hospitatur.

Cl. Icosandr. O. Polygyn. O. N. Senticosæ.

Qual. *Odor* fragrans. *Sapor* substypticus.

V. Leviter adstringens.

Us. Præcipue cosmeticus; profluvia; decoquuntur quoque cum aliis, atque instar collutorii, vel gargarismi ad vitia oris, fauciumque putredinosa, curanda, nec non ad inflammationem tonsillarum, aut anginam dissipandam, usurpantur.

Praep. *Aqua petalorum Rosae destill.*

SACCHARUM OFFICINARUM.

Succus expressus, per evaporationem depurationemque densatus, et in formam salis concreti redactus, vulgo Saccharum album dictus. Сахаръ.

Cl. Triandria O. Digynia. O. N. Gramina. Gramen perenne, palustre, utriusque Indiæ et Ægypti.

Qual. A proprio mucilaginoso principio repetenda. *Sapor* salino-dulcis, acceptus.

V. Altrix, parum irritans, antiseptica, demulcens; *extrinsecus*, leviter stimulans, escharotica.

Us. Raucitas, tussis, dysenteria biliosa, scorbutus, stomacace; stomacho imbecillo vix aptum. *Extrinsecus*, pulvis ejusdem oculis inflatus, corneæ maculas tollere; naribus vero, sternutamenta provocare fertur. Ulceribus fungosis adspersus, quod supercrevit, exest.

Dos. Vel simpliciter in pulverem tenuatum, vel aliis efficacioribus unitum medicinis datur, nec nisi, ut constituens, aut corrigens, ingreditur formulas.

Mel eidem persæpe, ut succedaneum,

merito subrogatur, præsertim in curatione armigerorum.

Praep. *Syrupi omnes.* — *Elaeosacchara.* — *Acidum oxalicum*; *alcohol. dilutum* Rum *dictum.* — *Acet. camph.* — *Aq. cardiac.* — *Pulv. Nitrat. potass. comp. Molasses*; Syrupus Molasses, est pars succi spissati sacchari officinarum incrystallisabilis. *Cerevisiam* et *Decocturam antiscorbuticam* ingreditur.

SALIX ALBA, AMYGDALINA, PENTANDRA. etc.

Ветла, Верьба.

Ramulorum cortex.

Cl. Diœc. O. Diandr. O. N. Amentaceæ.

Arborea, Rutheniæ incola, ubivis crescens.

Qual. Arbos, omnibus balsamica partibus, et amaro-adstringens.

V. Roborans, adstringens, antiseptica, anthelminthica, febrifuga.

Us. Succedanea functionibus Cinchonæ officinalis; non est tamen adeo, ut illa valens, nec Cinchoninum proprium continet, Quassiæ quoque Simarubæ, merito subroganda; majori tamen exhibita dosi.

Decoctura corticis putredini resistit, acido sulphurico acidulata eadem, luem bovillam, teste CAMPERO, propulsavit.

DOS. Ramulorum cortex externe et interne in pulvere et decoctus exhibetur; utilius tamen si fuerit viridis. Pulveris, scrupulum, drachma. Decocti semuncia, uncia, in sesquilibra aquæ ad libram decoquendo.

PRAEP. *Extractum.* — *Dec. corticis.* — *Pulv. salic. comp.*

SALVIA OFFICINALIS.

Шалфей. Folia, herba.

CL. Diandr. O. Monogyn. O. N. Verticillatæ. Planta perennis in Ruthenia australi spontanea, in hortis vero sub dio hospitans commode.

QUAL. In volatili oleo et adstringente extractivo residens. *Odoris* fortis fragrantis; *Saporis* subamari, styptici.

V. Leniter stimulans, roborans, menagoga; *extus* admotæ, resolvens.

US. In variis ventriculi incommodis, ut inflatione, colica flatulenta; in siti febrili per modum infusi theæformis addito succi Citri m. tantillo, ad jucundum aco-

rem. Ill. van Swieten commendavit illam adversus nocturnos sudores in infuso aqueo vel cum alcohole, quem in finem Æther quoque sulphuricus non inepte adjicitur. Infuso contra metrorrhagias frigide propinato, juvat. Infusum vinosum tumori mammarum ex lacte post ablactationem utile esse Swieten testatur. Uti nec leucorrhϾ alienum fertur. Infusum aquosum, forma gargarismi: in cynanche mucosa, relaxatione gingivarum, ulceribus oris, aphthis etc. utile se præstitit.

Dos. Grana quindecim, ad scrupulos duos in pulvere.

Praep. *Infusum ad gargarisma aluminos*: — *variaque alia.*

SAMBUCUS NIGRA.

Бузина. Flores.

Cl. Pentandr. O. Trigynia. O. N. Dumosæ. In Russia australi, spontanea, et Petropoli subsistens.

Qual. *Odor* teter, fetidus. *Sapor* acris, nauseosus.

V. Florum, sudifica; *extus*, resolvens.

Us. Flores infusi omnium partium usitatissimi, ob resolvendi vim in tussi, re-

pletione pectoris pituitosa, item sputis peripneumonicorum languentibus, proficiunt. Noxas a perfrictione utiliter, perfacile concipiendas, avertunt, sudorem movendo; morbillos, scarlatinam, erysipelas, aliaque exanthemata in eruptione torpescentia, vel retrograda incitant, vel reducunt.

Dos. Drachmæ duæ, semuncia, ad libram aquæ pro infuso.

Praep. *Infus. Sambuci n.* — *Gargarisma aluminosum.*

SAPO OLEOSUS.

Alicantinus. Гишпанское мыло.

Ex olivo et lixivio, quod ex binis sodæ, una calcis parte conficitur, coquendo spissatus sapo, in primis Marsiliæ confectus. Sit albicans, durus, levis, digitos non inquinans pinguedine, neque ingrato et rancido odore, corruptam adhibitæ pinguedinis indolem, prodens. Variegatus est rejiciendus, nec unquam internis usibus inserviat, quippe non exiguam auripigmenti quantitatem admistam habens. — Alicantinus veneto præfertur.

Interne in pilulis datur, fereque semper

cum aliis remediis, præsertim aromaticis aut tonicis, ut sunt amara extracta, gummi-resina F. Ammon. etc. conjungitur.

Dos. Pro adulto, est a dimidio scrupulo, ad duos, drachmam, duas. Pro infantibus a duobus granis ad quatuor, ad decem usque, pro ratione ætatis, idque vel in aqua, vel in lacte solutus. Solutum quoque adhiberi expedit, ubi noxii effectus reparandi sunt, quos acida mineralia, murias hydrargyri oxydatus, aliaque hujus indolis venena, produxerint.

Connubium ejusdem cum acidis vetatur.

Ad usus *externos*, modo in aqua simplici solutus, vel lacte, modo in aliis liquoribus, et utroque modo, inservit clysteribus, balneis, ablutionibus, fomentis, etc.

Praep. *Pilulae Allii sativi — Aliaeque.*

SAPO PICEUS.

Vel *niger*, qui est semper mollis.

Praep. *Cataplasma pus maturans.*

SAPO SEBACEUS.

Sapo domesticus; Sapo Wologdensis.

Вологодское мыло.

Est massa, coquendo sevum cum solutione Sodæ vel Potassæ parabilis.

Usui *externo* solummodo inservit, quum ab opificibus non satis purus paretur, idque per modum lotionum, fotus, suppositorii adhibetur. In sorditie ulcerum, tumoribus frigidis induratis, scabie crustosa, etc.

Praep. *Clyst. comm.* — *Empl. oxyd. Plumb. semivitr. comp.* — *Sapo tereb.* — *Solut. sapon.*

SAPONARIA OFFICINALIS.

Мыльная трава. Radix (fibrosa, extus rubens, flavescens intus, saporis dulcescentis, cum quadam dein amaritate, et leviuculo acremento; a radice Lychnis dioicæ, ramosa, fibrata, alba, lignosa intus, inodora, saporis subamari, quæ a rhizotomis præpostero consilio, Saponariæ loco legitur; uti etiam a Cucubali Behen, et Saponariæ albæ radicibus, probe distinguenda). Folia.

Cl. Decandria, O. Digynia.

Perennis, in australi Russia perfrequens.

QUAL. Recentis radicis: contrita spumescit, saponaceamque indolem præ se fert.

V. Saponacea: diuretica? Vix ut quibusdam placet resolvens.

US. In morbis cutaneis, syphilide (præsertim in aliorum consociatione) in articularibus (laudante impensius BERGIO) uti etiam in splanchemphraxibus, morboque Regio, BOERHAAVII præconia olim tulit. Ventriculum, diutius in usum tracta, debilitat, HORN.

DOS. Radix decocta, sæpius non nisi interne præscribitur. Radix recens a semuncia, ad duas uncias; sicca vero a drachma ad semunciam, addito grati saporis ergo, Glycyrrhizæ glabræ tantillo.

Pro succedanea Smilacis Sarsaparillæ habetur.

PRAEP. *Species Guajaci compositae.*

SCILLA MARITIMA.

Морской лукъ. Radix (bulbus prægrandis, ponderosus epidermide ex fusco rubescente tunicatus. Squamæ recentes albidæ succo peracri mucilagineo turgent; calore vero leni siccatæ, peramaro sapore sunt præditæ).

Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Liliaceæ.

Perennis Rutheniæ australis, ad littora marium arenosa perfrequens.

Qual. Eximia; ab acri volatili principio derivanda, *Sapor* amarulentus, nauseam movens, acer.

V. Stimulans, resolvens, pituitam, lotium movens, alvum ducens, vomitiones provocans. Scilicet in majori dosi vomitum, in minori alvum, in minima lotium movet. *Externe* radix recens, rubefaciens, vesicans.

Us. Morbi pulmonum asthenici, asthma pituitosum, tussis, hydropisis, præsertim in connubio muriatis hydrargyri oxydulati.

Dos. Radicis recentis, grana quinque, decem scrupulum; siccatæ, grana duo, sex, in forma pilularum aptissime, in in-

fuso drachmæ duæ ad libram vini, a maximis dosibus cavendum, quibus suboriuntur erosiones aqualiculi, stranguria, mictus cruentus, etc.

Vinum scillites quod ad Hautesierckium refertur habet.

R. Radicis scillæ maritimæ recentis semunciam.
Corticis fructus Citri aurantii.
Rad. A. Calami utriusque drachmam.
Vini albi libram. digere per triduum et colatis adde:
Oxymellis scillini unciam.
Idque cochlearii mensura sorbendum.

SECALE CEREALE.

Рожъ.

Seminum farina.

Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramina.

Annua planta in Rutheno Imperio cultura ubivis communis.

V. Nutriens. — Fermenti, leniter stimulans, antiseptica.

Us. Farina et fermentum, pro synapismis, cataplasmatibus, epispasticisque recte adhibentur.

Praep. *Farina, fermentum, alcohol dilutum.— Ad varia adhibetur farina cataplasmata.*

SERUM LACTIS VACCINUM.

Сывоpотка.

In curatione armigerorum prout apud vendentes prostat adhibeatur. Solum, a selibra ad tres libras præscribitur, interdum ut excipiens, vel ut constituens, in quarundem potionum, aliorumque remediorum præparatione. Interdum adduntur illi Sisymbrium Nasturtium, Leontodon Taraxacum, Cichorium Intybus, aliæque plantæ, et si temporis ratio favet, succus quoque ex hisce plantis expressus apte additur loco ebullitionis cum istis herbis faciendæ. Juvat quoque, ne in ventriculo acesceret, aut ad corrigendum, si quem susceperit acorem, adjungi quidpiam Magnesiæ, idem cum lacte faciendum, cui additio Magnesiæ imbecillo in primis stomacho, apta.

SESAMUM ORIENTALE.

Кунджутъ.

Oleum seminum expressum.

Cl. Didyn. O. Angiospermia.

Annua Chinæ et Japoniæ.

Qual. Oleosa.

V. Emolliens.

Us. Oleum in culina commodum et in lucernis usitatum. Datur quoque a quibusdam in pruritu, doloribus, marasmo, phlegmone.

Praep. *Oleum expressum.*

SISYMBRIUM NASTURTIUM.

Nasturtium aquaticum. Жеруха. Рыжуха.

Herba recens, succus expressus.

Cl. Tetradyn. O. Siliq. O. N. Siliquosæ.

Planta biennis ad rivos et fontes spontanea.

Qual. A principio acri derivanda. *Saporem* habet acrem, subamarum, trita, pungentem spargit *Odorem.*

V. Diuretica, antiscorbutica.

Us. Scorbutus.

Dos. Succi, unciæ duæ.

Praep. Succus, qui *Succum Cochleariae off. comp. ingreditur.*

SOLANUM DULCAMARA.

Паслюнъ сладко-горькій. Stipites repentes. Ramuli biennes vel triennes, cortice tecti ex cinereo subfusco, saporeque ex dulci amaro præditi, a stipitibus Solani nigri, quibus interdum admiscentur, distinguendi.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceae.

Frutex scandens, in sylvaticis paludosis Rutheniæ frequens.

Qual. Recentis: *Sapor* teter, amaro-dulcis. *Odor*, virosus.

V. Stimulans, sudifica, diuretica, præsertim cathartica.

Us. Rheumatalgia, febres rheumaticæ, morbi cutis, ut psora, tinea, herpes etc. Scrofula, syphilis, flavedo.

Dos. Stipitum recentium contusorum semuncia, uncia, ad libras tres aquæ, decoctorum ad libras duas. Sumatur libra quotidie, cum vel sine lacte, vel uncia eorundem libra bullientis aquæ superfundatur, addito pro re nata, volatili congruo stimulo. Extractum quoque Dulcamaræ, in aromatica quadam aqua solutum utilitatem promittit. Majores doses quum perfacile vomitiones provocent, aliasque inferant noxas, caute præscribantur.

Praep. *Spec. Guajac. comp.*

SPONGIA OFFICINALIS.

Spongia marina. Губка грецкая. Nidus mollis.

Cl. Vermes. O. Zoophyta. In mari mediterraneo, rubroque reperitur, scopulis adhærens.

Est habitaculum vermis zoophyti, vel polypi cellulosum, album, vel coloris citrini, pluribus pervium foraminibus, exiguis, leve, elasticum; *Odoris* minus grati, proprii; *saporis* expers.

V. Humidum absorbens; puris absorptionem impediens.

Us. *Externus* pro ulceribus deligandis et abscessibus.

Praep. *Spongia usta.* — *Eadem cerata*, cujus si necessitas inciderit, tunc parari cito potest, cera flava liquefacta.

STALAGMITIS CAMBOGIOIDES.

Gummi Guttae. Succus gummi-resinosus ramulorum incisione, vel cortice arboris vulnerato, exsudans, inspissatus. Желтая камедь.

Cl. Poly. O. Mon. O. N. Tricoccæ. Arbor Indiæ incola.

Qual. Lutea, opaca, in principio gummi-resinoso residens, fere insipida, inodora.

V. Drastico-cathartica; subemetica; diuretica.

Us. Vermes; præsertim vero tænia solium, addito Muriate hydrargyri oxydulato, emeseos avertendæ causa, vel æqua portione cum Subcarbonate potassæ conjuncta, ad quindecim grana secunda quaque hora propinatur ter, donec vermes exierint. Hydropisis, in connubio pulveris C. Jalapæ, Supertartratis potassæ, vel utriusque, vel alterutrius, actionis intendendæ causa; obstipatio.

Dos. Grana tria, quatuor, pulveris cum saccharo contriti tertia quaque hora in hydrope. In tænia grana decem, scrupulum. In obstipatione granum, sesquigranum, grana duo. In forma liquida a granis tribus ad decem.

Antidotum ejus est alcali.

Praep. *Pil. Aloës et Stalagm. Cambog.* — *Pulv. Supertartr. Potassae et Stalagm. Cambog.*

SUBBORAS SODÆ.

Borax officinalis. Бура.

Borax promercalis ex sale in Perside, Thibet, India orientali, Sinaque obvio, a Batavis et Sinensibus peculiari processu paratur.

V. Alcalescens, absorbens, resolvens.

Us. In morbis ab acido primarum viarum, hinc adversus aphthas in primis est utilis. Semidrachma Subboratis sodæ in uncia destillatæ aquæ soluta, et has extrinsecus admota propulsat, et tuberculis hæmorrhoidalibus medetur. Collyrium quoque ex eodem adversus varia oculorum valetudinis genera, idoneum esse perhibetur. Maculis corneæ, a THEDENO, RICHTERO, ARNEMANNO, opponitur; non minus, leviori visus obscurationi, et cataractæ recenti, utilis esse existimatur.— Hunc in finem semidrachma Subboratis sodæ cum drachma sacchari in aquæ destillatæ uncia, solvitur.

SUCCINUM.

Electrum. Янтарь.

Substantia bituminosa, flava, et alba, ad littora Baltici maris lecta, densa et fragilis, tantæque duritiei, ut tornari, cædi, poliriquese se sinat. Prunis injecta spargit acceptum odorem. Fractura splendens, insipidum; dum fricatur, corpora levia attrahit, fitque electricum. In tenui solutione Subcarbonatis potassæ, frigore solubilis; in aqua insolubilis; alcohol vero dilutum exiguam duntaxat portionem resinæ extrahit. In æthereis et pinguibus oleis non solvitur, nisi pro parte in carbonem mutatur.

Pro suffitibus adhibetur. Videsis: *Pulverem pro suffimine*, et ad conficiendam *Resinam succini balsamicam*, *Moscho succedaneam* etc.

SULPHAS BARYTAE.

Тяжелый шпатъ

Terra ponderosa, vitriolata BERGMANNI.

Spathum ponderosum.

Sal hicce, forma lapidea in variis Europæ regionibus occurrit.

Us. Præparata. Ut *Mur. barytae.*

SULPHAS CUPRI.

Vitriolum coeruleum. Синій купоросъ.

L. Cl. II. Mineræ, salia.

Centenarius constat ex Cupri 24. Oxygenii 8. Aquæ, 10. Acidi sulphurici 33. Aquæ crystallisationis 25 partibus.

V. Corrosiva, adstringens.

Us. Præparata. Ut *Subsulphas cupri et ammoniae.*

SULPHAS FERRI.

Ferrum sulphuricum crystallisatum Ph. B. *Vitriolum martis* Ph. Ross. Зеленой или сапожной купоросъ.

R. Limaturæ Ferri pur. selibram.
Acidi sulphurici uncias octo.
Aquæ bilibram cum semisse. Misce et ubi effervescentia cessarit, aliquamdiu super calidam digere arenam, deinde liquorem per chartam effusum cola, atque post idoneam exhalationem, ut crystalli formentur, sepone.

V. Styptica, roborans, anthelminthica.

Us. Morbi asthenici, vermes, Boerhaav: — Rush, Britannus, tantum huic medicinæ tribuit, ut tæniæ solium pro-

fligandæ parem esse, usu cognovisse, fateatur.

Adversus phthisin pituitosam quoque laudatur; sed aptius in formula, quæ ad Griffithium refertur convenit, haud secus ac in diabete.

Praep. *Acid. acetic.* — *Carbon. ferri praecip.* — *Pulv. Sulph. ferri et Kino.*

SULPHAS MAGNESIÆ.

Magnesia Sulphurica Ph. B. *Sal anglicus*; *Sal amarum* ph. Ross. Сибирская горькая соль.

Est sal medium terrestre, e pura Magnesia et Sulphurico acido constans. Elicitur e fonte Ebshamensi, vel ex ultimo salis marini lixivio; crystallis gaudet teneris, acicularibus. In confinibus Irkutsk copiosus, venalis prostat; *Sapor* ejus subamarus.

V. Solvens, cathartica, diuretica.

Us. Obstipatio, saburra primarum viarum etc. item ad parandam Magnesiam.

Dos. Semuncia, uncia, raro sescuncia, simplici aqua, aut alio vehiculo pro rei indole congruo, ut in liquore Cucumerum salito (огуречный россолъ) datur. Abstinendum ab eo in gastritide, enteritide, dysenteria etc.

P r a e p. *Aq. marin. artefacta.* — *Carbon. magnes.* — *Clyst. cathart.*

SULPHUR. Сѣра.

Comburendo, oxygenio nuptum, acidum sistit sulphuricum. In Islandia, Germania, Italia, Hispania, Russia (circa Samaram ad Wolgam) et aliis oris nativum. Flavum, in cylindros fusum, quod vulgo citrinum audit, recipiendum est, aut in flores sublimatum. Est autem solidum, friabile, leni igne liquescens colore rubro, ardens flamma cœrulea vapore forti suffocante.

Odor, nisi fricetur, vix aliquis, si accendatur acidus, penetrantissimus. *Sapor* quoque, si purum est, nullus.

U s. Videsis: Sulphur sublimatum.

D o s. Grana quinque ad triginta et drachmam, *Extus*: unguenta.

SULPHURETUM STIBII NIGRUM PRÆPARATUM.

Stibium praeparatum ph. Dublin. *Antimonium crudum. Stibium Sulphuratum nigrum. Stibium striatum.* Сюрьма.

Linn. Cl. II. O. Mineræ, Metalla.

Est minera metallica ex Sulphure et Regulo constans, per eliquationem in clausis vasis a matrice purgata, et crystallis acicularibus, nitentibus conspicua. Oportet, ut sit illud longis et splendentibus striis donatum, et sub igne strenuo totum exhalet; illud vero rejiciendum est, quod acubus coloris rubei obscuri instructum adparet, quod simul ac incenditur, Allii odorem emittit, et quo, si cum multa aquæ destillatæ copia ebullitioni subjectum fuerit, aqua, si deinceps filtretur efficitur turbida ope aliquarum guttarum Hydrosulphureti Potassæ, in aqua destillata soluti; quod ostenderet Stibium Arsenico infectum esse. Illud quoque rejiciendum, quod si cum aceto ebulliat, eidem dulcem saporem communicet; id enim indicaret, in eodem Plumbum contineri.

Obtinetur ex Hungaria, repetitur quoque circa urbem Nertschinsk Rutheniæ.

Qual. *Odor*, et *Sapor* nullus.

V. Sudifica, diuretica, expectorans, minori dosi; majori vero, vomitum ciet, vel alvum ducit.

Us. *Interne* exhibetur in morbis cutaneis, ut in psora etc. in rachitide, rheumatalgia, catarrhis, deposita arthritica materia, tumoribus, et glandularum obstructionibus, scrofulis.

Dos. In pulvere, vel per modum boli datur.

Initium fit tuto a decem granis ad scrupulum, gradatim ad semidrachmam adscendendo.

Magna cura cavendum ab acidis, ne colici dolores, diarrhœa, vomitus, suboriantur; ideo recte eidem adduntur absorbentia. — Connubium cum salibus non convenit.

Praep. *Oxyd. Stib. hydrosulphurat. praecipit.* — *Oxyd. Stib. c. Subphosph. calcis.*

SUPERSULPHAS ALUMINÆ ET POTASSÆ.

Alumen. Квасцы. L. Cl. II. Mineræ, salia.

Est sal medium terrestre ex Alumina, pauxillo Potassæ et Acido sulphurico constans; postremo tamen præponderante.

In commercio prostat; crystalli ejusdem octaëdræ, pellucidæ, sunt saporis dulcescentis et adstringentis, multam crystallisationis aquam continentes. In gubernio Tamboviensi conficitur.

V. Acido-adstringens, styptica, roborans, antiseptica.

Us. *Internus*: hæmorrhagiæ atonicæ; præsertim vero metrorrhagia; colica pituitosa, spastica, plumbea, Grashuisz; diarrhœa, dysenteria? diabetes, leucorrhœa, febres intermittentes, putridæ, Vogel; variolæ, Wendt. *Externe*: forma injectionis gargarizationis, collutorii, collyrii: ophthalmia membranacea, cynanche atonica, mucosa, relaxatio uvulæ, gingivarum laxitas, prolapsus ani et vaginæ uteri, incipiens spina ventosa, Hahneman. *Inservit ad parandum Supersulphatem aluminae fusum, et Serum lactis aluminosum.*

Dos. A grano, gradatim ad scrupulum sæpius de die.

Praep. *Pulv. Supersulph. Alum. et Potass. — Supersulph. Alum. fus. — Cat. aluminos. — Fom. aluminos. — Garg. aluminos. — Clyst. adstring. c. Opio. — Collyr. Supersulph. Alum. et Potass. — Dec. Querc. R. aluminos. — Pulv. Sulph. Ferri et Kino. — Serum lact. aluminos — Sol. Sulphat. Zinci aluminos.*

SUPERTARTRAS POTASSÆ.

Cremor tartari. Винной камень.

Hic sal in promercio est.

V. Frigerans, diuretica, cathartica, et ut quibusdam placet, resolvens.

Us. Febres inflammatoriæ, gastricæ; hæmorrhoides (in connubio Sulphuris sublimati et Nitratis potassæ) hydropisis, Home, Ferriar. Præsertim cum Digitali purpurea, vel gummi-resina Stalagmitidis Cambogioidis, Medicus, vel cum oportunis aliis, ut Amomo Zingibere, Monro; colica plumbea, idem; obstipatio. *Externe:* forma pulveris pro dentifricio, in primis in connubio Cinchonæ off. Magnesiæ; vel in morbis oculorum, aliis congruis junctus, et inflatus.

Dos. Ubi purgatione alvum sollicitare expedit, a duabus drachmis ad sescunciam datur, passim in aqua simplici, vel sero, si ad aliud refertur, præscribi solet a semidrachma ad integram, secunda; vel tertia quaque hora in convenienti vehiculo, repetendus. Additur interdum apte catharticis, resinosis, juvat quoque eundem, vel cum saccharo, vel cum melle mistum præberi, quo, præter alia commoda, sumentibus redditur gratior.

Præparatio ejusdem in cupreis adulterata vasis, proditur partibus cupreis, addito Carbonate ammoniæ liquido, vel ipsa ammonia, innotescentibus, ortaque hinc; post saturationem, tinctura cœrulea.

Supertartratis Potassæ 100 partes ex 33 Potassæ et 67 Acidi tartarici constant; $1\frac{67}{100}$ ejusdem partes solvuntur in 100 partibus aquæ ad thermom: REAUMUR: $12\frac{1}{2}^{\circ}$, et $3\frac{3}{16}$ ad 80° ejusdem thermometri; si vero sexta vel septima Subboratis sodæ portio adjicitur, tum solubilior fit, et a drachma ad tres, cathartico-diuretica virtute conspicuus, a QUARINO hepatemphracticæ ascitidi oppositus fuit cum successu; in hydropisi autem, a semuncia ad duas

uncias, in tredecim aquæ partibus solutus, alterno quoque mane, exhibitus, efficacissimum se præstitit.

Praep. *Acid. tartaric. — Inf. fol. C. Sennae. — Pot. acid. veget. — Pulv. C. Jalap. et Supertart. potassae. — Pulv. Guajaci et Tart. stib. et potassae. — Pulv. Supertart. potassae et Digit. purpureae — Pulv. Supertart. potass. et Stalag. Cambog. — Subcarbonas potassae — Tartras Stib. et Potass.*

SINAPIS NIGRA.

Горчица. Farina seminum.

Cl. Tetradyn. O. Siliquosa O. N. Siliquosæ.

Annua, in australi Russia, fera; copioseque colitur in hortis.

Qual. In acri principio, oleoque insipido sita.

V. Stimulans, rubefaciens, peptica, majori dosi emetica; minori vero diuretica.

Us. Suetissimum eduliorum; in primis vero carnium pisciumque ad intinctus condimentum, acredine sua nares, ori inditum titillans, lacrymasque exciens, morbis asthenicis idoneum, hinc concoctio-

nem ciborum juvat, menti hilaritatem conciliat, variis morbis a debilitate oriundis proficuum, ut scorbuto semen tritum, cum vino albo mistum subvenisse, hydropisi, asthmati pituitoso, febribus intermittentibus, paralysi profuisse magnæ existimationis clinici, testantur. *Externe*: rheumatalgia, herpes etc. præcipue sub epispastici cataplasmatis, lotionisque forma propulsatur.

Dos. Seminum integrorum drachmæ duæ ad semunciam subinde in pulvere; sæpius tamen in infusione, in aqua, vel sero præscribitur, idque a semuncia ad unciam.

Praep. *Serum sinapinum.* — *Farina pro Sinapismis.* — *Cerevisia antiscorbutica.* — *Infusum seminum.* — *Gargarisma commune cum Sinapi.*

THYMUS SERPILLUM.

Serpillum. Тиміянъ ползучій. Богородская трава. Herba.

Cl. Didyn. O. Gymnosp. O. N. Verticillatæ.

Suffrutex in aridis campestribus locis perfrequens.

Qual. A volatili repetenda oleo. *Sapor*

subamarus, aromaticus substypticus; *Odor* fragrans, aromaticus.

V. Stimulans, nervina, stomachica, resolvens.

Us. Ope ejus infusi, a crapula nepotina, cephalæam tolli, Linneus contendit. *Extus* subinde discutiendi, et roborandi causa in usum trahitur, et ad balnea uterina.

Praep. *Spec. aromaticae.*

TORMENTILLA ERECTA.

Завязной корень. Radix.

Cl. Icosandr. O. Pentagyn. O. N. Senticosæ.

Planta perennis in tota Russia, in sylvis, et pascuis sterilibus obvia.

Qual. Eximia; styptica: *Odoris* expers; *Saporis* styptici, subaromatici.

V. Roborans, adstringens.

Us. Menorrhœa, diarrhœa, dysenteria;? *Extrinsecus* in uvulæ relaxatione, dentibus cum cruentatione vacillantibus, et in prolapsibus varii generis, locum habere potest. Præterea ad conficiendam gummiresinam Kino artificialem, ejusdem extractum est maxime idoneum.

TRIFOLIUM MELILOTUS OFFICINALIS.

Донникъ или Буркунъ. Flores, herba.

Cl. Diadelph. O. Decandr. O. N. Papilionaceæ. Planta annua, vel biennis in Ruthenia australi spontanea.

Qual. A volatili oleo pendens. *Odor* gravis, fragrans; *Sapor* mucilaginosus, acris, subamarus.

V. Resolvens.

Praep. *Emplastrum nominis* ejusdem.

TRITICUM ÆSTIVUM et HYBERNUM.

Яровая и озимая пшеница.

Semina, farina triticea, amylum, furfures.

Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramina.

Annua planta in Russia colitur.

Qual. Farinacea, mucilaginosa, insipida.

V. Nutriens, emolliens; panis azymi; alvum adstringens.

Us. Farinæ, præter diæteticum siccatæ probe, discutiendis tumoribus œdematosis, et erysipelatosis; in cataplasma vero coctæ, ad molliendum, ciendamque sup-

purationem, haud ineptus. — Domesticum quoque est, ad abscessuum maturationem accelerandam, ut in emplastro ex farina cum sufficiente mellis quantitate subacta. Amylum clystere injectum, in diarrhœa, dysenteria, tenesmo, stranguria, fuit proficuum. — Decocti furfures tussi ab acri; extrinsecus vero in balneis opitulantur.

Dos. Amyli, sesquidrachma ad libram aquæ ad selibram cocti, pro clystere.

Praep. Semina: *Alcohol dilutum.* — Furfures: *decoctura furfuris.* — Amylum: *Clyst. nutriens.* — *Pil. Mur. hydr. oxydati.*

TUSSILAGO FARFARA.

Подбѣлъ, Бѣлокопытникъ, Мать и мачиха. Radix, herba, flores, folia, succus foliorum.

Cl. Syngenes: O. Polygam. superfl. O. N. compositæ discoideæ. Planta perennis, in solo argilloso ad fossas et in campis humidis crescens.

Qual. Totius plantæ recentis: *Sapor*, mucilaginosus, subamarus, acris et aliquantum aromaticus; *Odor* gravis.

V. Expectorans.

Us. Succi foliorum, verno tempore expressi: in scrofula, CULLEN, FULLER, MEYER. Tussientibus ab omni ævo commendata fuit, potioremque inter pectorales locum tenuit. Fumum foliorum arundine vel infundibulo exceptum, tussi et orthopnœæ, DIOSCORIDES, GALENUS, PLINIUS, per fumisugam fistulam, suctum, odontalgiæ esse adcommodum, alii referunt.

PRAEP. *Species Althaeae comp.*

ULMUS CAMPESTRIS.

Ильмъ, Береспъ. Cortex ramulorum interior et arboris junioris.

CL. Pentandr. O. Digyn. O. N. Scabridæ.

Arborea, in Russia temperata perfrequens.

QUAL. *Sapor* subamarus, stypticus. *Inodorus.*

V. Adstringens, roborans, diuretica.

Us. Decocturæ: varii cutis morbi, ut psora, tinea, herpes, lepra; in rheumatalgia, arthrodynia, quidam laudant.

DOS. Uncia, duæ, ad libram, duas, aquæ; coctæ ad libram.

PRAEP. *Decoctura Ulmi campestris.*

VACCINIUM OXYCOCCOS.

Baccae Oxycocci. Клюква. Baccæ recentes, succus expressus.

Cl. Octandr. O. Monogyn. O. N. Bicornes.

Suffrutex in Russia septentrionali crescens.

Qual. *Sapor* acido - stypticus; adustarum gelu baccarum acidulo-gratus; *Odor* vix ullus.

V. Refrigerans, subadstringens, antiscorbutica, antiseptica.

Us. Roob earum in febrientium usum aqua solutum, pro potu exhiberi potest, et in primis in biliosis, putridis febribus, in ipso scorbuto; his succus quoque idoneus est.

Dos. Succi, unciæ duæ, cum libra aquæ, addito sacchari tantillo, propinantur.

Praep. *Succus* — *Roob.*

VALERIANA OFFICINALIS.

Valeriana sylvestris. Маунъ, дикій булдырянъ, земляный ладанъ.

Radix, ex trunco brevi, fibrosa, capitulo oblongo, quodammodo truncato, fibris tenuibus subfuscis, tenacibus, hirtis.—

Gustatu subamara, acricula; *Odoris* gravis, hircosi, cum radice Valerianæ dioicæ inerti, neutiquam confundenda, uti etiam crassior minus pilosa, magis lignea, fragilis et cinereo-castanei coloris merito rejicienda.

CL. Triandr. O. Monogyn. O. N. Aggregatæ.

Planta perennis, per totum Ruthenorum imperium crescens.

QUAL. Præstans: ab oleo volatili, principioque mucilaginoso salino, repetenda. *Odor* hircinus; *Sapor* subamarus, aromaticus.

V. Narcotica, excitans, antispasmodica, anthelminthica, menagoga.

Us. Pulveris vel infusi: hyperæsthesia, malum hypochondriacum, et hystericum, dolores, spasmi, morbus caducus, chorea S: Viti, hemicrania spasmodica, amaurosis incipiens, helminthiasis.

Dos. Radix interne in pulvere a granis decem ad scrupulum et drachmam usque propinatur.

PRAEP. *Tinctura* — *Infusum* — *Decoctura.*

NB. Ineunte vere, ante productionem caulis, ex locis siccis elevatisque colligen-

da, atque radix a squalore liberata, probeque siccata, in vasis vitreis rite clausis, inque loco sicco et frigido, servanda, in pulverem, ubi usus inciderit, recenter quoad fieri potest, tenuanda.

VERATRUM SABADILLA. Retzii.

Semina cum capsulis, oblongo acuta, nigra, pericarpio membranaceo fusco tecta. Вшивой порошокъ.

Cl. Polygam. O. Monœc. O. N. Liliaceæ Pl. Mexicana.

Qual. Venenifera. *Gustatu* amara, acria urentia; *Odoris* vix ullus.

V. Drastico-cathartica, anthelminthica, phthiroctona.

Us. Tænia S. Linn. Phthiriasis. *extrinsecus.*

Dos. Infanti bimulo, quadrimo, granum, duo; octenni, grana quinque; duodecenni grana decem cum Syrupi vel mellis quantitate sufficienti, post quinos dies catharticum interpolando. — Provectioris ætatis hominibus a duodecim granis ad scrupulum extracto quopiam amaro excepta. Decocturæ usus, vix tutus.

Pulverem, ut phthiroctonum extrinsecus, in valetudinariis militaribus adhiberi juvat; cavendum tamen est, ne pulvis aut Piperis, aut Veratri albi eidem malesuada fraude, subrogetur.

PRAEP. *Infusio pro clystere*, videsis: *clysterem aloëticum.*

VERONICA BECCABUNGA.

Herba recens.

CL. Diandr. O. Monogyn. O. N. Personatæ. Planta perennis, ad rivos, et in fossis fluentibus copiosa, in omni Europa.

QUAL. Subamara, inodora.

US. Succum e V. Beccabunga expressum, contra scorbutum valere M. HOFFMANN adseverat, cujus uncias duas ad quatuor epotari etiam in connubio seri lactis, CHOMEL suadet; nec inepte cum succo Cochleariæ off. vel alterius antiscorbutici efficacioris commiscetur. *Extrinsecus*: ulceribus scorbuticis cum successu admovebatur PAULI teste.

PRAEP. *Succus Cochleariae comp.*

VITIS VINIFERA.

Виноградъ.

Baccæ recentes, siccatæque, et folia.

Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Hederaceæ. Fruticosa, in Chersoneso taurica, ad Tanaim, mareque Hircanum, colitur.

Qual. *Gustatu* dulces, acidulæ, acceptæ baccæ, et pro varietate etiam moschatæ. — Folia subadstringentis *Saporis*.

V. Fructuum: nutriens, sitim sedans, antiseptica, alvum liquans. Foliorum: subadstringens; fructuum siccatorum vulgo passularum: nutriens, pectoralis.

Praep. *Vinum*; *Acetum vini*; *Spiritus vini* (*Gallicus dictus*) Fructuum siccator. — *Decoct. Althaeae.* Vini. — *Vin. C. Ipecac.* — *Vin. Nicot. T.* — *Vin. Tartr. Stib. et Potassae.* — *Vin. scillites.*

ZINCUM. Шпіаутеръ.

Est metallum lamellosum, ex albo cœrulescens, subtenax, malleo parum obediens. Ignitu sub aëris accessu flammam concipiens viridem, abit in album Oxydum, partim sub flocculorum levissimorum

forma avolat. Sinense, illi, quod in officinis metallurgicis Goslariensibus producitur, præstat puritate. In India, Anglia, atque Hercynia potissimum ex Pseudogalena eliquatur.

Odor et *Sapor* nullus.

Praep. *Sulphas Zinci.* — *Oxydum zinci.*

PARS SECUNDA,

PRÆPARATA ET COMPOSITA.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ACETAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

Aqua Ammoniae acetatae. Ph. Lond. Aqua acetitis ammoniae Ph. Edin. Liquor ammonii acetici Ph. Bor. Spiritus Mindereri. Росолъ уксусонашатырный Миндереровъ.

R. Subcarbonatis Ammoniae triti quantum vis,
Adfunde:
Acidi acetici diluti (vel deficiente hoc) impuri, quantum satis ad Ammoniam accurate saturandam.

Quo fortior, et magis in viribus suis fiat uniformis, sequentes parandi ejusdem methodi proponuntur:

R. Subcarbonatis Potassae uncias quatuor
Acido acetico diluto satura, et solutio ad uncias trigiuta sex evaporet, dein admisce:
Muriatis Ammoniae uncias duas

et destillatio Acetatis Ammoniæ liquidi, in retorda vitrea fiat.

Methodus a Pruthenis proposita:

R. Subcarbonatis Ammoniaè sicci uncias tres,
Acidi acetici libram.

Dein aqua simplici destillata diluatur, ut totius sit unciarum viginti quatuor pondus.

Sic præparati, quævis uncia, drachmam Subcarbonatis Ammoniæ, continet.

V. Sudifica; ægro tamen calidius cooperto; diuretica vero dum frigori exponitur, agens, quin circulum sanguinis acceleret, caloremque corporis augeat.

Us. Febribus sthenicis et asthenicis, præsertim a perfrictione, vel aliis, ubi sudor quidem movendus; sed stimulus major est alienus, idoneum medicamen. *Extus* testiculis inflammatis induratisque, vaporum forma, aptum.

Dos. A semuncia ad sescunciam per se, aut in connubio auxiliariorum eandem facultatem habentium.

Praep. *Collyr. ejusdem. — Dec. Cinchonae off. — Foment. Sapon. ammon. — Haust. acetat. ammon. et stib. — Mist. Asae foetid.*

ACETAS CUPRI.

Aerugo crystallisata. Aerugo Aeris. Viride Aeris crystallisatum. Венецiянская ярь.

R. Limaturae vel laminarum cupri quantum velis,
Acidi acetici quantum satis.
Digere, donec solutum fuerit cuprum; solutionem denique, ut crystalli surgant, seponito.

V. Corrodens, styptica, antizymica.

Us. *Internus* vix ac ne vix quidem commendandus. *Extrinsecus*: in ulceribus fungosis, scorbuticis, venereis (in solutione)

verrucis, alliisque excrescentiis, per modum injectionis, vel lotionis in blennorrhœa asthenica, non spernendus. Ubi optio fit selectionis, massæ, cœruleo-viridis *coloris*, acris *Saporis*, quæ nec facile frangantur, nec ad aëris contactum humeant, jure præferri merentur.

PRAEP. *Lin. acet. Cupri. — Pulv. supersulph. Alum. et Potassae. — Solut. acet Cupr. et Mur. ammon. — Sol. subacet. Cupr. et ammon. — Ung. acetat. Cupr. cryst. — Ung. ophthalmic. cuprat. — Vapor. acid. acet.*

ACETAS
PLUMBI CRYSTALLISATUS.

Cerussa acetata. Ph. Lond. Plumbum aceticum Ph. Boruss. Saccharum Saturni Ph. Ros. Свинцовый сахаръ.

R. Oxydi Plumbi albi quantum velis, cucurbitae indito et affunde:
Acidi acetici impuri fortioris decuplum.

Stet super calidam arenam mistura, donec acidum dulcescat, hoc dein separato, novum toties adfundatur, donec desinat dulcescere, dein defœcatus liquor in vitreo vase ad liquidioris mellis crassitudinem vaporet, et in frigido reponatur loco, ut surgant crystalli in umbra exsic-

candæ, liquor remanens iterum vaporet, ut in novas coëat crystallos, totiesque vaporatio repetenda, donec nullæ amplius crystalli concrescant.

Rarius a pharmacopœis conficitur, sæpius in commercio, leviorique pretio prostat.

Drachma in selibra, vel pro re nata, in libra aquæ destillatæ soluta, recte admovetur.

Addetur interdum acidi acetici diluti, vel impuri, drachma vel plus, ut solutio rite sustineatur, præsertim, si in aqua communi facta fuerit.

Praep. *Acetas plumbi liquid. — Cerat. acetat. plumbi. — Acid. aceticum — Sol. acetat. plumbi cryst. fortior. — Sol. acetat Zinci. — Vapor. Acid. acet.*

NB. Ubi in quibusdam præparatis et compositis, ut heic, nulla virtutis, usus et dosis injecta est mentio; hæc in simplicibus parte prima comprehensis, quærenda.

ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

Extractum vel acetum saturni. Ph. R. Уксусъ свинцовый.

R. Acetatis Plumbi crystallisati selibram,
Aquae destillatae bilibram Commiscendo solve.

Hæc formula, licet majoris dispendii, meretur præferri; tutius enim faciliusque proportio ingredientium determinari potest; ubi tamen parsimoniæ ratio habenda, tum oxyda quoque Plumbi non sunt inepta.

V. Ut et præcedentis, sedativa, adstringens, frigerans, exsiccans.

Us. *Externus* tantum, phlegmone, ecchymomati, varici ani dolenti, cnesmo, blennorrhœæ, herpetibus, adustis, ophthalmiæ, idque in connubio, vel aquæ, vel olei extrinsecus admovetur, per modum collyrii, injectionis, lotionis, cataplasmatis, unguenti, linimenti etc.

Praep. *Cerat. acetat. plumbi. — Solut. acetat. plumbi.*

ACETUM CAMPHORATUM.

Камфорный уксусъ.

R. Camphorae drachmam,
Alcoholis, scrupulum. Tritis sensim admisce:
Gummi Mimosae niloticae pulverati,
Sacchari albi, utriusque unciam,
Acidi acetici diluti vel impuri sesquilibram.

Servetur usui in vitro bene obturando.

Dos. A semuncia ad duas uncias, et amplius, sæpius de die, vitrum fortiter, ante singula præbia, conquassando.

ACETUM SCILLITES ALCOHOLISATUM.

Уксусъ морскаго луку.

R. Radicis scillae maritimae siccatae et contusae ~~drachmas~~ duas uncias.
Acidi acetici impuri bilibram cum semisse,
Alcoholis uncias tres.

Macera Scillam leni calore in vase vitreo cum acido acetico impuro per quatriduum, dein expresso acido, adde alcohol (conservationis causa) et quum subsederint fæces, liquorem effundito.

V. Stimulans, in primis pituitam, et lotium; majori vero dosi, nauseam, et vomitum movens.

Us. Morbi pulmonum asthenici, pituitosi, hydrops. *Externe*: gargarizationis cau-

sa, aqua dilutum in tonsillitide a perfrictione laudatur, imo et in graviori auditu ex eadem causa.

Dos. A drachma ad semunciam, si vomitiones provocare lubet, cum qualibet aromatica aqua.

Oxymel scillinum ad omnia idem, quod Acetum scillites, potest; sed hoc valentius est.

Praep. *Oxymel et syrupus scillinus.*

ACIDUM ACETICUM.

Acidum acetosum forte Ph. Edinb. Acidum acetosum Ph. Lond. Усиленная уксусная кислота.

R. Sulphatis Ferri exsiccati libram,
Acetatis Plumbi crystallisati uncias decem.

Contrita et indita retortæ, ex arena, igne modico, destilla, quamdiu acidum prodit, in vase bene clauso, servandum.

V. Admodum stimulans, rubefaciens, antiseptica.

Us. Præcipue in syncope, asphyxia, adfectionibus hystericis, cephalæa, per modum odoramenti naribus admovetur; cuti vero adplicatum rubefacit eam; haud secus ac clavos emollit et eradicat.

Praep. *Acetas cupri.*

ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

Acidum acetosum destillatum Ph. Edinb. Acetum destillatum Ph. Dublin. et Borus. Acetum vini destillatum Ph. Ross. Винный двоеный уксусъ.

R. Acidi acetici diluti impuri placidam quantitatem vitreae retortae cum parte pulveratorum carbonum circiter decima committito, atque arenae balneo pars sexta calore gradatim auctiori eliciatur, phlegmate aethereo primum prodeunte rejecto, quo seorsim servato, labor protrahatur quousque clarus nec empyreumaticus liquor prodierit, qui ante empyreumatis notam obtentus, usui servetur.

Us. Pro laboribus pharmaceuticis et chemicis. Phlegma æthereum superstes parando aceto dulcificato *Ph. Ross.* aptum.

Praep. *Acetas ammon. liquid.*

ACIDUM CITRICUM CONCRETUM.

Succus Citri medicæ 24 horis, ut separetur mucus, reponitur, dein filtretur et Carbonate Calcis saturetur. Citras Calcis qui hinc surget, est insolubilis et præcipitatur. Fluido supernatanti effuso, præcipitatum eousque lavetur tepida aqua, donec nullius aqua saporis fuerit, mas-

saque albescat. — Dein hæc, dimidio ponderis illius Acidi sulphurici sex partibus aquæ diluti, decomponitur vel potius Acidi sulphurici plus adhibeatur, ut mucus perfecte destruatur, quem acidum cum Calce conjunctum, retinet, atque crystallisationi obicem ponit. Acidum sulphuricum Calci unitur, et ut Sulphas Calcis, præcipitatur; Acidum vero citricum liberatum, fluida forma comparet. Tum ad crassitudinem syrupi evaporat, et refrigeratum crystallos effingit. Ut prorsus depuretur, iterum solvatur, et in crystallos cogatur, quæ rhomboidalia prismata referunt, quorum latera fere se in 60, ad 120 inclinant; extremitates vero habent quatuor superficies, angulos laterum complectentes.

V. Antiseptica, eximia; vide succum Citri medicæ. Apud Britannos sub nomine: COXWELL'S CONCRETE SALT OF LEMONS, venit.

Dos. Scrupulum, ad duos et amplius. NB. Superoxalas Potassæ, e succo foliorum Oxalis Acetosellæ, in magna quantitate extractus, venditur sub nomine: ESSENTIAL SALT OF LEMONS, perperam di-

cto. Virtutis pene ejusdem, cujus præcedens.

Praep. *Pulvis carbon. acidulus.*

ACIDUM MURIATICUM CONCENTRATUM.

Усиленная соляная кислота.

R. Muriatis Sodae libras duas,
Acidi Sulphurici uncias sedecim,
Aquae libram.

Murias sodæ in olla primum igne rubescat paulum, tum frigefactus retortæ, committatur, dein acidum cum aqua permistum, et refrigeratum sodæ muriati adfundatur. Tandem ex arena, leniori calore, quamdiu prodit acidum distillet.

Praep. *Acid. mur. oxygen. — Lin. acid. — Mur. calc. oxygen. — Sol. mur. calc. — Mur. Magnes. — Sol. Mur. hydr. oxydat. corrod. — Tinctura Mur. ferri alcohol.*

ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM.

Acidum Salis dephlogisticatum. Пресыщенная соляная кислота.

R. Oxydi manganesii nigri selibram,
Acidi muriatici concentrati libras tres.

Retortam tubulatam balneo arenæ committito, atque cum minore excipulo, idque cum destillatorio adparatu Woulfiano junge, commissuris luto pingui ex Argilla et Oleo Lini usitatissimi cocti, facto, obductis, dein linteis miscela ex Calce in pulverem dilapsa ovique albumine parata madidis, rite firmatis. Ubi omnia fuerint siccata, Oxydum manganesii per aperturam tubulatæ retortæ imponitur, adjectis eidem acidi muriatici unciis tribus, destillatio leni calore fiat. Quum nil in excipulum stillare observatur, tum tantundem ejusdem acidi adfunditur, et destillatio, ut prius continuatur, eousque, donec libræ tres acidi hac ratione sensim adfusæ fuerint.

V. Antiseptica, miasmata valetudinariorum, aliaque narcotica venena enervans, tollens.

Us. *Internus*: psora, herpes, lues venerea, scorbutus, et in plerisque morbis, quibus acidum sulphuricum, et nitricum, opem fert. *Externus*: ulcera faucium, cutisque putida, aphthae, vulnus a cane rabido recenter inflictum.

Forma vaporis: celebratissima antidotus, qua adversus contagionis pericula tutum corpus redditur, ad corrigendum proinde, aërem effluviis coinquinatum in valetudinariis, navibus, aliisque arctis habitaculis, pestilentia, aut urgente febre americana flava, utilitas ejusdem in primis emicat.

Item ad præparata quædam pharmaceutica adhibetur, ut *Muriatem Potassae oxygenatum*.

ACIDUM NITRICO-MURIATICUM.

Aqua regia.

R. Acidi nitrico-nitrosi gravitatis specificae 1,4. Acidi muriatici concentrati gravitatis specificae 1,134, pares portiones. Misce.

Solutiones, liquoresque corrigendo aëri destinatos, ingreditur.

PRAEP. *Vapores Oxymuriatici acidi.*

ACIDUM NITRICO-NITROSUM.

Acidum nitrosum Ph. Edinb. Acidum nitri concentratum. Spiritus nitri fumans. Acidum nitricum. Ph. Ross. Усиленная селитренная кислота.

R. Nitratis Potassae purissimi contusi bilibram,
Acidi sulphurici uncias sedecim.

Nitrate potassæ immisso vitreæ retortæ acidum affundatur, fiatque ex arena destillatio, calore gradatim auctiori, quoadusque ferrea olla obscure cæperit rubere.

Hujus pondus specificum est ad destillatæ aquæ pondus, ut 1550, ad 1000.

V. et Us. Videsis: Acidum nitrico-nitrosum dilutum.

Dos. Pro ratione dilutionis administranda.

Praep. *Acid. nitrico-muriatic. — Acid. nitrico-nitros. dilutum. — Acidum. nitric. — Aether nitric. alcoholis. — Ung. nitrat. hydr. — Ung. nitricatum mitius.*

ACIDUM NITRICO-NITROSUM DILUTUM.

Aqua fortis. Ph. Ross. Слабая селитряная кислота.

R. Acidi nitrico - nitrosi,
Aquae destillatae, utriusque pares portiones.

Caute, gradatimque vapores vitando commisce.

V. Antiseptica, caustica, corrodens.

Us. Potiones, acido nitrico acidulatæ, febribus sthenicis conveniunt, vi in primis antiphlogistica, conspicuæ, in typho, (Reich, Hoffmann, Eberhard) non contemnendum præbent eædem antisepticum, uti nec hepatitidi, et in primis indurationi jecinoris, Scott, alienæ. — Psoræ, herpetibus, aliisque cutaneis morbis, opponitur acidum; syphilidi vero, (Pearson), ubi Hydrargyrum ob debilitatem ægri alienum est, convenit quidem; verum morbo radicitus tollendo impar est. Verrucas et excrescentias alias exest.

Admoto ejusdem vapore, contagiosa putridaque effluvia valetudinariorum etc. (Carmichael Smyth) delentur.

Dos. A decem ad sexaginta guttas dilutas aquæ congrua quantitate, tubuli

vitrei ope, dentium conservandorum ergo sumendas, vel vide *Aquam acidi nitrici.*

ACIDUM NITRICUM.

R. Acidi nitrico-nitrosi quantum lubet,

Retortæ immittito, atque excipulo adaptato ignem lenissimum subde, donec ruberrima pars transiverit, ac acidum in retorta superstes, nitricum fuerit factum.

Us. Ad varia paranda pharmaca.

Praep. *Nitras argenti fusus.* — *Nitras hydrarg. liquidus.* — *Oxynitr. Hydr. et Ammon.* — *Ung. nitricat. fort.*

ACIDUM SULPHURICUM.

Acidum vitriolicum. Ph. Ross. Купоросная кислота крѣпкая. Чистая купоросная кислота.

R. Acidi sulphurici impuri, quod in commercio est, quantum placet.

Retortæ vitreæ immittatur, atque igne successive auctiori destilletur eousque, donec non amplius in vaporum forma; sed in striis cohærentibus in recipiens vas defluere cœperit. Tum recipiente mutato continuetur destillatio, ac denique is gradus ignis; caute tamen augeatur, ut reliquum acidi ascendere queat, quod in

vitro sicco aëris accessu probe interclu-so ope epistomii vitrei, usui servetur; chemicis præparatis ob summam, qua pollet acrimoniam, idoneum.

V. Corrodens.

Quandoque plumbo, damnosissimo additamento infectum est, ut id cl. MEYR et GÜNTER, evicerunt, quod detegitur, si conjuncto hoc acido partibus aquæ, vel æqualibus, vel majoribus, album præcipitatum conspiciatur emitti, quo non adparente, indicium est plumbum in sulphurico acido neutiquam contineri. Interdum, illud præcipitatum esse, etiam sulphatem calcis cum portione siliceæ terræ aliqua, WITHERING, testatur.

Hujus acidi pondus specificum in calore $26\frac{1}{9}$ REAUMUR: esse debet ad pondus aquæ destillatæ ut 18,50 ad 10,00.

PRAEP. *Acid. muriat. conc.* — *Acid. nitrico-nitrosum.* — *Acid. sulph. aromat.* — *Acid. tartaric.* — *Aether sulphuricus.* — *Fom. vulnerar.* — *Garg. aluminos.* — *Lin. sulph. terebinthinatum.* — *Mur. hydr. oxydat.* — *Sol. acid. mur. oxygen. vaporifera.* — *Sol. acid. nitric. vaporifera.* — *Sol. alexiter. oxyg.* — *Sulph. potassae.* — *Ung. acid. sulphur.* — *Sulphas ferri* — *Vapor. acidi acetici.*

ACIDUM SULPHURICUM AROMATICUM.

Loco *Elixir acidi* Halleri.

R. Acidi sulphurici selibram,
Alcoholis bilibram.

Alcoholi paulatim acidum instilla, et misturam calore lenissimo in vase clauso per biduum digere; dein adde:

Corticis Lauri Cassiae semunciam,
Radicis A. Zingiberis sescunciam.

Digere iterum in vase clauso per sex dies, et per chartam bibulam, super infundibulum vitreum positam, cola.

V. Roborans, adstringens, antiseptica.

Dos. A decem ad guttas triginta, in aquæ convenienti quantitate.

Praep. *Dec. Cinchonae off.*

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Spiritus vitrioli tenuis. Spiritus vitrioli. Ph. Ross. Разведенная купоросная кислота.

R. Acidi sulphurici unciam,
Aquae destillatae uncias septem.

Cautim commisceto acidum sensim sensimque instillando aquam.

V. Stimulans, frigerans, adstringens, roborans, potenter antiseptica, antizymica, fermentationem inhibens.

Us. Synochus, febres petechiales, hæmorrhagiæ, exanthemata atonica, scorbutus, dyspepsia, psora, herpes aliique cuticulares morbi; imo pestis, scarlatina anginosa, et alii contagiosi morbi; tabes purulenta, ulcera, aphthæ, pyrosis, gastrodynia, etc. idque pro ratione morbi, modo *interne* propinatur, modo *extrinsecus* per modum liquoris, unguenti, gargarismatis etc.

Dos. Guttæ decem, viginti, triginta, in aqua, vel quolibet alio vehiculo congruo.

Praep. *Aq. acid. carbon.* — *Aq. acid. sulph. diluti.* — *Dec. antiscorbut.* — *Mist. Cinchon. off.* — *Pot. acid miner.* — *Sol. sulph. Zinci.* — *Sulph. Zinci.*

ACIDUM TARTARICUM.

Sal essentiale tartari. Acidum tartari crystallisatum. Ph. Ross. Кислота виннокаменная.

R. Supertartratis potassae libras septem,
Aqu. fervidae libras viginti quatuor. Solutis adde:
Calcis pulveratae libras duas.

Filtra liquorem, et tartratem calcis in filtro remanentem aqua frigida ablue, eique adde :

Acidi sulphurici (aquæ libris viginti diluti) libras duas.

Digere per viginti quatuor horas sæpius agitando, dein effunde liquorem acidum, calcisque sulphatem residuum aqua ablue, donec insipidus fuerit. Commistos liquores acidos coquito cum carbonum pulvere, dein filtrato, et evapora ad siccitatem, adsiduo movens, tandem leni calore in crystallos redigito, siccandas, usuique servandas.

V. Acida, antiseptica, diuretica, frigerans.

Us. Febres sthenicæ; (in quibus gratissimum præbet antiphlogisticum, temperans, siti restinguendæ aptissimum) biliosæ; scorbutus.

Dos. Semidrachma, drachma, ad bilibram aquæ, pro potu ordinario.

Praep. *Dec. antiscorbut.* — *Dec. Malti. H. d. acidula.*

ADEPS SUIS SCROFÆ PURIFICATA.

Axungia Porci purificata. Сало свиное очищенное. Pinguedo abdominalis recens, odoris expers.

R. Adipis Suis Scrofae quantum vis.

Membranis, venulis, fibrisque demtis, tamdiu calda abluatur aqua, donec nil amplius cruenti effluxerit, demum concisa in frustula liquefiat, et coletur per linteum.

V. Emolliens.

Us. Præcipuus: pro parandis variis unguentis, linimentis, emplastris etc.

Eodem modo purificantur: sevum ovillum, vel hujus defectu bovillum. In curatione militum utrumque ad omnes pene usus loco olei expressi Theobromæ Cacao concreti, utiliter adcommodatur.

Cerata, emplastra, unguenta, cataplasma emolliens quoque, et linimentum camphorato-ammoniatum ingreditur.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLISATUS.

Spiritus aetheris nitrosi Ph. Edinb. Liquor aetheris nitrosus Ph. Dubl. Spiritus Nitri dulcis. Услажденная селитренная кислота.

R. Alcoholis partes tres,
Acidi nitrico - nitrosi partem.

Alcohol capaci phialæ in vase, frigida repleto aqua, positæ, infundito, atque sensim acidum sub jugi motu adde. Phiala levius obturata in frigidulo per septimanam reponatur loco. Denique liquor, aquæ bullientis calore, in excipulo, nive, vel aqua refrigerato, quamdiu prodibit spiritus, destillet.

V. Diaphoretica, diuretica, antispasmodica; addito Subcarbonatis ammoniæ liquidæ tantillo vis ejusdem medica intenditur.

Dos. Semidrachma ad drachmam.

Praep. *Vin. rhenanum artefactum.*

ÆTHER SULPHURICUS.

Naphtha vitrioli. Нефть купоросная.

R. Alcoholis bilibram, adfunde paulatim, et caute in cucurbita:
Acidi sulphurici tantundem.

Alembico cum excipulo satis capaci adaptato, et juncturis bene clausis destil-

latio ex cinerum balneo remissiori calore instituatur. Simulac liquor stillans acidum sulphuricum redolet, ab ulteriori destillatione illico desistendum est. Liquori in cucurbita remanenti adfunde Alcoholis libram. Continuetur, ut antea destillatio, cum simili alcoholis quantitate, pro re nata, bis iteranda. Liquoris ætherei destillationibus his obtenti partibus duodecim adde:

Aquae communis partes tres,
Potassae liquidae partem.

Aether supernatans a reliquo separetur fluido, lenissimoque rectificetur calore quamdiu purissimus, et fragrantissimus transit.

V. Excitans, volatilis, anodyna, sudorem et in primis lotium movens, antispasmodica.

Us. *Internus*: spasmodicæ adfectiones, convulsiones, morbus caducus, hyperæsthesia, cardialgia, rheumatalgia, phrenitis hydrocephalica, narcotismus, asthenia, podagra atonica, paralysis, vomitus, singultus, pertussis, typhus, morbi ventriculi et intestinorum ab inflatione, vel spasmodici etc. *Externus*: odontalgia, cephalalgia, et alii dolores rheumatici, ac spas-

modici admoto parti linteo Æthere madenti, magnitudine palmæ manus, quo pars tegitur, illico fortiter premendo, sic, ut evaporatio ejus impediatur, et sic paulisper sustinendo, Ward, et tum effectum stimulantem, et rubefacientem prodit; ubi vero amota palma, evaporationi subitæ locus fit, frigerantem eximium, duos nempe discrepantes inter se effectus; unde calorico subducto herniæ etiam incarceratæ proficuus exstitit, externo usu.

Dos. Guttæ quinque, decem, viginti ad drachmam, cum saccharo, vino aut alcohole impuro, aut in haustu misturæ aut aceti camphorati.

Praep. *Aeth. sulphur. alcoholisatus.*

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLISATUS.

Spiritus Aetheris vitriolici Ph. Lond. Spiritus sulphurico aethereus Ph. Bor. Spiritus vitrioli dulcis Ph. Ross. Aether sulphuricus cum Alcohole Ph. Edinb. Liquor aetherius oleosus Dublin. Liquor Hofmanni anodyn. Гофманновы капли. Услажденная купоросная кислота.

R. Aetheris sulphurici,
Alcoholis, pares portiones. Misce.

Iisdem gaudet virtutibus, ut præcedens; minus tamen valentibus.

Dos. Semidrachma, ad duas drachmas, in vehiculo quolibet congruo.

Praep. *Aether sulph. alcohol. camphoratus— Infus. Valerianae off.—Pot. aether. sulph. alcohol.*

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLISATO-CAMPHORATUS.

R. Aetheris sulphurici, vel
.... alcoholisati unciam,
Camphorae drachmam. Misce fiat solutio.

V. Eximia: stimulans, antispasmodica, antiseptica, sudifica.

Us. Febres typhodes, chorea, hysteria, singultus, cardialgia spasmodica, præcipue ex podagra atonica, et asthma ex eadem causa.

Dos. Guttæ duodecim (quæ sesquigranum Camphoræ continent) ad drachmam (grana septem cum semisse continentem) ex saccharo vel Alcohole diluto, aut quovis vehiculo proprio bis terve de die.

Externe: Aëre excluso, calefaciens, rubefaciens; admisso autem, abstrahens caloricum; cephalæa, odontalgia, hernia incarcerata.

Alcohol quoque, ætheri sulphurico alcoholisato, utpote majoris dispendii, rite substituitur; quod etiam *Dec. Cinchonae.— Embroc. sapon. rubefac. et Lin. album. ovi* ingreditur.

ALCOHOL.

Alcohol vini. Spiritus vini rectificatissimus Ph. Ross. Алкоголъ.

R. Alcoholis diluti quantum velis.

Destillationi iterum subjiciatur, atque tertia exinde solum pars ejus eliciatur.

Us. Ad varia præparata, ut *Alcohol ammoniatum.*

Praep. *Acet. camphor. — Acet. scillites.— Acid. sulph. arom.—Aeth. nitric. alcohol. — Aeth. sulph. — Aeth. sulph. alcoholis. — Lin. albuminis ovi.*

ALCOHOL AMMONIATUM.

Spiritus ammoniae Ph. Lond. Spiritus alkali volatilis Ph. Dublin. Liquor ammonii vinosus Ph. Bor. Spiritus salis ammoniaci volatilis vinosus Ph. Ross. Спиртъ нашатырный летучій съ виномъ.

R. Ammoniae liquidae partem,
Alcoholis partes duas. Misce.

Obturata probe lagena servetur.

V. Excitans, antispasmodica, sudifica, interdum pituitam et lotium movens.

Us. Morbi asthenici, paralysis, lethargus, asthma pituitosum, hysteria, deficiente vis vitæ reactione. Item pro parandis pharmacis variis.

Dos. A decem guttis ad drachmam in quovis vehiculo aquoso, vel vinoso.

Praep. *Garg. ammoniat. — Tinct. Guajaci ammoniata. — Tinct. Opii ammoniata. — Tinct. Valerianae ammoniata.*

ALCOHOL DILUTUM.

Spiritus vinosus tenuior Ph. Lond. Spiritus vini tenuior Ph. Dublin. Spiritus frumenti depuratus Ph. Ross. Спиртъ хлѣбный очищенный.

Alcohol dilutius, sub nomine spiritus vini communis vulgo, ut venale prostat;

bonæ tamen notæ, fermentatione vinosa subsequenteque destillatione, e vino, fæcibus ejusdem, vino pomaceo, aliorumque fructuum, aut e seminibus tritici, secalis, hordei, avenæ sativæ, oryzæ s. alisque vegetabilibus, vel ex succo Sacchari off. expresso, super carbones recenter ustos obtentum destillando, vel

R. Alcoholis,
Aquae destillatae, utriusque pares portiones.

Misce, et in vitro probe clauso, serva.

Persæpe, loco alcoholis diluti sumitur idem, sed impurum Ruthenice водка, vel hoc deficiente dilutius adhuc, vulgo Сивуха dictum.

Praep. *Alcoh. dilut. amar* — *Alcoh. dilut. antiscorbuticum.* — *Aq. cardiac.* — *Cat. discutiens.* — *Dec. Cinchonae.* — *Fomenta pleraque.* — *Inf. Gentianae comp.* — *Sol. Mur. hydr. corrodens.* — *Sol. saponis.* — *Tinct. pleraeque.* — *Vin. lusitanic. artefactum.*

ALCOHOL DILUTUM AMARUM.

R. Extracti amari unciam,
Alcoholis diluti sesquilibram.

V. Incitans, roborans, imbecillo ventriculo aptum.

Dos. Unciæ duæ, tres bis de die.

Si cuivis hujus Alcoholis dosi, balsamum Pini sylvestris additur, et quidem a guttis decem ad tringinta, et amplius, tum cachectis, scorbuticis, iisque, quibus post febres intermittentes, præpostero consilio, curatas, abdomen tumet, vel hydropysis, et leucophlegmatia infausti ominis sequelæ superveniunt, aptius fit, ut id haud æquivoca docet experientia.

ALCOHOL
DILUTUM ANTISCORBUTICUM.

R. Extracti amari,
.... turion. Pini sylv. utriusque semunciam,
Alcoholis diluti selibram.

Dos. Ut, et præcedentis; scorbuticis tamen hoc adcommodatius.

ALCOHOL PURISSIMUM.

Alcohol vini alcoholisatum Ph. Ross. Spiritus vini rectificatissimus. Alcohol absolutum.
Алкоголъ совершенно безводный.

R. Alcoholis vini quantum velis,

sub adsidua succussione, tamdiu siccum, Subcarbonatem potassæ admisce, atque hinc provenientem aqueam salis solutionem separatorii ope sæpius aufer, donec

ultimæ Subcarbonatis potassæ particulæ, nec amplius deliquescent, neque inter se congrumescent. Retorta demum Subcarbonate potassæ probe siccato superimpletur, per cribrum trajecto, depurato, cui alcoholis aqua privati, supra memorati, adfunditur tantum, quam illo resorberi perfecte potest. Retorta arenæ balneo committitur, adaptato cum vesica recipiente, et post viginti quatuor horas, lenissimo semper æquali continuato igne destilletur. Simulac guttulæ lentius stillarint, tum destillatum, atque perfecte aqua privatum alcohol recipitur, usui servandum. Loco Subcarbonatis Potassæ, Murias Calcis siccatus, ad parandum alcohol purissimum, non male adhibetur.

Quod alcohol hac ratione elicitum, sit perfectissime aqua privatum indicat specifica ejus gravitas in temperatura graduum +15 REAUMUR, non plus quam = 791 ad 1000 aquæ.

Deficiente Æthere sulphurico alcoholisato, pares portiones Acidi sulphurici diluti, et Alcoholis simul nuptæ, non inepte eidem substituuntur, duplici quantitate pro dosi.

AMMONIA LIQUIDA.

Aqua ammoniae purae Ph. Lond. Liquor ammonii causticus Ph. Bor. Spiritus salis ammoniaci causticus Ph. Ross. Спиртъ нашатырно-известный ѣдкій.

R. Muriatis ammoniae uncias sedecim,
Calcis recens paratae bilibram,
Aquae libras sex.

Libræ aquæ in figulinum, vel ferreum vas infusæ calcem contritam adjice, et vas operito per horas viginti quatuor, dum calx in pollen dilabatur, quod retortæ immitte. Huic Muriatem ammoniæ in aquæ libris quinque solutum addito. Tunc occluso retortæ ore agitando permisce; tandem fiat destillatio calore lenissimo adeo, ut adstantis manus admota retortæ, calorem ejus facile ferre queat, in excipulum refrigeratum donec destillaverint unciæ viginti. In hac destillatione vasa sic conglutinanda sunt, ut vapores subtilissimi prorsus cohibeantur.

V. Admodum irritans, caustica, antacida, adstringens, et discutiens.

Us. Perraro *interne* exhibetur a guttis decem ad viginti in asphyxia, cum multa aqua. Præcipue *externus*: pro odore forma

gazis, cephalalgia, asphyxia, comata, hysteria, ophthalmia asthenica; forma linimenti: in torpore, rheumatalgia, paralysi, et id genus aliis, et triplici aquæ quantitate ad sistendum sanguifluxum minorum vasorum; tumores frigidi, duri, ex lacte, coagulato, vel lympha inspissata; adusta; perniones.

PRAEP. *Alcoh. ammoniatum — Embroc. sapon. rubefaciens. — Fom. sápon. ammon. — Fom. sapon. comp. — Garg. ammoniatum. — Haust. saponac. — Linim. ammon. — Lin. ammoniato — terebinth. — Lin. ammoniato — camph. — Mist. subcarbon. Magnes. — Oxynitras hydr. et ammon. — Solut. subacetat. cupri et ammoniae.*

AQUA ACIDI CARBONICI.

Aqua aëris fixi. Углекислая вода.

Aqua fontana, acido carbonico e carbonate calcis duro, vulgo marmore, ope acidi sulphurici expulso, in vase idoneo saturetur.

Acidum e carbonatis calcis uncia, pari pondere acidi sulphurici adhibito, et aquæ circiter libra diluto, erumpens, sufficit ad aquæ libras quatuor saturandas.

V. Lotium movet, sitim restinguit, calorem minuit, irritabilitatem stomachi, nauseam, vomitumque, aut sedat, aut tollit.

Dos. Bilibra partitis vicibus quotidie.

Eodem modo præparatur AQUA FERRI AËRATA, suspendendo semunciam ferrei fili in aqua acidi carbonici. Ceteris aquis ferratis substitui potest.

Virtus harum aquarum excitans valide nervosum systema, motum systematis arteriosi augens, vires labantes refocillans; deobstruens, in primis astheniæ musculari, et nervosæ, physconiæ abdominali, aurigini, rheumatalgiæ, amenorrhœæ, chlorosi, blennorrhœæ, etc. adcommoda; persæpe in iis quoque casibus, ubi vulneribus sauciis, post sulphuratas aquas, has etiam propinari e re est.

AQUA ACIDI NITRICI DILUTI.

Per se, vel in connubio aliorum.

R. Acidi nitrici diluti drachmas duas,
Aquae fontis, vel
Decocturae Hordei d. vel
. . . . Furfuris, vel
Infusi rad: A: Calami, vel
. . . flor. M. Chamomillae libras duas,
Syrupi simplicis, vel
Mellis puri, uncias duas. Misce.

V. Stimulans, antiseptica, oxygenans, peptica, interdum diuretica, roborans, sialagoga.

Us. Cachexia, hepatitis chronica, febres typhodes, exanthemata asthenica, ulcera herpetica, syphilitica, psora, hydrops, morbi contagiosi.

Dos. Libra, duæ in dies, per vices. Potui per tubum vitreum detur.

AQUA ACIDI SULPHURICI DILUTI.

Per se, vel in connubio aliorum.

R. Acidi sulphurici diluti unciam,
Aquae fontanalis, vel
Decocturae Hordei d. vel
Infusi A Calami libras duas,
Mellis vel syrupi uncias duas.

Dos. Drachmæ duæ ad semunciam.

Si aquæ Acidum sulphuricum in præstituta proportione nuptum administretur, tum per modum lotionis eodem uti licet.

AQUA CALCIS.

R Calcis recens ustae selibram.

Vasi figulino commissæ, uncias quatuor aquæ per vices adspergito, vase dein clauso, incalescenti calci, et in pulverem fatiscenti libras duodecim aquæ adfundito, et calcem cum aqua agitando permisce. — Ubi calx subsederit, iterum agitetur idque decies circiter iteretur, vase, ut aëris accessus arceatur, clauso. Denique solutio per chartam in infundibulo positam coletur in lagenis rite repletis obturandisque servanda.

V. Alcalina, antacida, leniter adstringens, anthelminthica.

Us. *Internus*: morbis ex acido primarum viarum, quibusdam cutaneis, vermibus, diarrhœæ, diabeti, etc. medetur. *Extrinsecus*: tineæ, psoræ, crustæ lacteæ, ulceribus crurum herpeticis, scorbuticis, injecta, laborantibus blennorrhœa, cystirrhœa, et vesica urinaria exulcerata, prodest.

Dos. *Interne*: a duabus unciis, ad selibram, libram, variis vicibus sumenda, vel ipsa sola; melle tamen, vel syrupo edulcorata, vel sæpius cum lacte aliisque præsertim mucilaginosis commista, propinatur. Cavendum tamen, ne longiori usu ejusdem, ventriculus debilitetur.

Praep. *Linim. calcareum.* — *Sol. acetat. cupr. et Mur. ammon.*

AQUA CARDIACA.

R. Alcoholis diluti, vel impuri (spiritus vini gallici dicti) libram,
Aquae bullientis libras quatuor,
Sacchari uncias duas ad quatuor. Misce.

Interdum ad gratiam additur Succus V. Oxycocci, vel Citri m., vel alterius convenientis, ratione semper parsimoniæ habita.

V. Stimulans, exhilarans.

Dos. Pro re nata, a medente, indicanda.

AQUA CARI CARVI.

Ex tempore paranda.

R. Elaeosacchari C. Carvi semunciam,
Aquae fontanae libram. Misce terendo.

Eodem modo parantur

AQUA MENTHAE CRISPAE.
..... ANETHI FOENICULI.
..... PIMPINELLAE ANISI, aliæque extemporales.

Omnes hæ aquæ aliis pharmacis pro vehiculo plerumque inserviunt.

AQUA DESTILLATA.

Перегнанная вода.

R. Aquae rivalis, putealis, vel fontanae quantum lubet.

Ex vasis stanno probe obductis, vel stanneis, vel vitreis, examussim mundatis, moderato igne fiat destillatio, quoadusque duæ tertiæ circiter partes destillaverint. Aqua tali modo obtenta exponatur per aliquot dies aëri, aut in proprio apparatu probe cum aëre agitata, servetur usui.

Prima portiuncula stillantis aquæ rejiciatur.

Us. Pro solvendo Muriate hydrargyri oxydato, Tartrate stibii et potassæ. etc.

AQUA MARINA ARTEFACTA.

R. Aquae libras quinquaginta,
Muriatis sodae uncias decem,
. . . . . magnesiae drachmas decem,
. . . . . calcis uncias duas,
Sulphatis sodae,
. . . . . magnesiae utriusque drachmas sex.
Misce.

Us. Pro balneis frigidis, vel calidis: scrofulæ, rachitis, aliive morbi systematis lymphatici, debilitas systematis arteriosi, musculorum, ligamentorum. *Interne*: libra propinata, alvum egregie ducit.

AQUA MENTHÆ PIPERITÆ.

R. Herbae Menthae piperitae florentis libras duas, vel siccatae, libram.

His affunditur aquæ tantum, ut destillatione, cum elicitæ fuerint, libræ decem, supersit quantum sufficit ad evitandum empyreuma. — Post macerationem debitam, destillentur libræ decem.

Hoc modo parantur aquæ stillatitiæ libræ decem.

Ex Corticis fructus Citri aurantii libris duabus.
. . . . Citri medicae recentis libris duabus.
. . . . Lauri Cassiae libra, per diem macerata.

Ex Fructus Myrthi Pimentae selibra, per diem macerata.

... Herbae Menthae crispae viridis libris duabus.

.... Pulegii florentis, libris duabus.

... Petalorum Rosae centifoliae recentis libris sex.

... Seminum Anethi Foeniculi contusorum libra.

Singulis harum aquarum libris adde: Alcoholis diluti semunciam, conservationis causa.

AQUA MINERALIS ACIDULA,

SELTERANAM æmulans.

R. Aquae purae libras quinquaginta,
Carbonatis calcis drachmas duas,
Subcarbonatis magnesiae unciam,
Subcarbonatis sodae drachmas sex,
Muriatis sodae sescunciam.

Trajice per solutionem in adparatu proprio gazis acidi carbonici pollices cubicos 909 ad 1000. Lagena hermetice clausa, conservetur.

V. Diuretica, sedans, antacida, antiseptica.

Us. Tabidis, splanchemphraxi, lithiasi, dysuria, malisque ex metastasi lactea oriundis, laborantibus, prodest.

Dos. Per cyathos detur.

AQUA
MINERALIS SULPHURATA.

R. Aquae purae libras quadraginta,
Carbonatis calcis drachmas quinque,
Subcarbonatis sodae ...... decem,
Muriatis ejusdem .. ... septem,
Gazis acidi carbonici
.. .. hydrogenii sulphurati, utriusque pollices cubicos 900 ad 1,000

Aquæ in stanneo vase calefactæ, ingredientia addantur, dein refrigerata, gaze acido carbonico haud secus, ac gaze hydrogenio sulphurato, apto adparatu, saturetur.

V. Sudifica, antacida.

Us. Morbi cutanei, rheumatalgia, paralysis, rigiditas musculorum, tendinum, juncturarum, a vulneribus sclopetariis.

Gaz hydrogenium sulphuratum decompositione hydrosulphureti Potassæ, vel calcis, per acidum sulphuricum obtinetur.

AQUA PURIFICATA.

Aqua communis filtrata simpliciter, vel prævie cocta, ac dein per saccum densum cannabinum carbonibus pulveratis repletum, filtrata, purificata usui servetur.

In plerisque omnibus febribus (exceptis adfectionibus topicis) adfusio frigidæ aquæ ad superficiem corporis totam, urgente in primis calore, primis diebus denis, peraccommoda esse censetur, magnamque promittit utilitatem. Ægro acidulis potionibus, munditie, aëre puro, perflatumque habente, refecto, rarius incidit necessitas stimulantium volatilium, quibus fatiscentiæ virium succurri solet. A sexto die adspersio ejusdem aptior, somnum placidum, adinstar narcoticorum, accersens. *Extrinsecus*, quoque adplicatur aptissime in adustis, contusuris, luxationibus etc. ubique pene, ubi calorici partem demi e re est, suasu in primis Cl. Currie.

AQUA
SUPERCARBONATIS POTASSÆ.

Aquae Carolinae, Borsetanae, et aliis alcalescentibus aquis æquiparabilis.

R. Aquae libras decem.
Subcarbonatis potassae purissimi unciam.

Solve, et subjice rivo gazis acidi carbonici, qui oriatur ex pulvere Carbonatis Calcis, Acidi sulphurici, utriusque unciis

tribus, aquæ libris totidem, gradatim, et caute commistis.

Huic præparationi conveniunt adparatus chemici a D. D. Nooth et Woulfe inventi.

V. Antacida, diuretica, solvens, antizootica.

Us. *In. et externus*: lithiasis, arthritis, scrofula, morbus regius, obstructio abdominalis, obesitas etc.

Dos. A selibra ad libram, spatio viginti quatuor horarum.

AQUA

SUPERCARBONATIS SODÆ

Paratur ex aquæ libris decem, et Subcarbonatis sodæ unciis duabus, eodem modo, ac aqua supercarbonatis Potassæ.

V. Inter lithontriptica, primum locum habet; diuretica, antacida.

Us. Lithiasis, podagra, morbi ex metastasi lactea, morbi ex acido primarum viarum orti, leucophlegmatia, hydrothorax.

Aqua hæc in lagena hermetice claudenda, servetur.

Dos. Ut, et præcedentis.

CARBONAS CALCIS PRÆPARATUS.

Creta praeparata, et *cancrorum lapilli*, *vulgo Oculi cancrorum praeparati.*

Carbonas calcis, seu mollior, Creta dictus seu durior, sub nomine lapillorum et oculorum cancrorum notus in ferreo mortario pulveratus, atque super Porphyriten cum pauxillo aquae laevigatus, vasi committatur capaci, tum aqua affundatur quae saepius agitato vase onusta polline elutrietur. Aqua quiescente pulvis subtilis subsidet, illico exsiccandus Crassus pulvis cui aqua non est, sustinendo, laevigetur iterum, eodemque, ut prius, modo, tractetur.

V. Exsiccans, antacida.

Us. Idem, ac aquæ calcis; pyrosis; cardialgia, aliive morbi ex acido primarum viarum, et cumprimis diarrhœa infantum, crusta lactea, rachitis.

Pro antidoto quoque habetur Acidi arsenicosi in ventriculo hærentis.

Dos. Grana decem, triginta, et amplius, sæpius de die.

Praep. *Mist. carbon. calc. comp.*

CARBONAS FERRI PRÆCIPITATUS.

R. Sulphatis ferri uncias quatuor
Subcarbonatis sodae uncias quinque,
Aquae fontanae libras decem.

Solve Sulphatem Ferri in aqua, dein adde:

Subcarbonatem sodæ, prius ex aquæ quantum satis sit, solutum, et misce probe.

Lavetur Carbonas Ferri, qui fundum petit, aqua tepida, et postea siccetur.

V. et Us. ut Ferri limati; præferri tamen huic meretur.

Dos. A granis tribus, decem ad viginti, et amplius.

Praep. *Mist. g. Myrrhae ferrata.* — *Pulv. Junip. Sabinae comp.*

CARBONAS
FERRI PRÆPARATUS.

Rubigo ferri praeparata.

Ferri limatura purificata saepius aqua humectetur, ut fatiscat in rubiginem, quae siccata in mortario ferreo tenuetur in pollen.

V. Us. et. Dos. eadem, ut Ferri limati.

Praep. *Tinctur. muriat. Ferri alcoholisat.*

CATAPLASMA ACETATIS PLUMBI.

R. Micarum panis, vel
Farinae quantum vis,
Solutionis Acetatis plumbi fortioris
quantum satis, ut in cataplasma madescant.

Us. Ecchymosin, illata extrinsecus vi, productam, discutit. — Excoriationibus, adustis, contusuris, luxationibus, tumoribus ossium scrofulosis, distorsioni, convenit.

CATAPLASMA ACETATUM.

R. Farinae cujuslibet, vel
Micarum panis, quantum vis,
Acidi acetici impuri, quantum satis, ut fiat cataplasma, saepius frigide superdandum, et ubi siccescet, calefietque, renovandum.

V. et Us. ut, et præcedentis.

CATAPLASMA ALUMINOSUM.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae drachmam,
Albumina duorum ovorum,
Fortiter simul agitentur, ut in coagulum coëant.

Us. In ophthalmia asthenica, pernione.

Praep. *Collyrium supersulph. Alum. et Potassae.*

CATAPLASMA ANTISEPTICUM.

R. Camphorae (in uncia, aut Alcoholis, aut olei destillati Pini laricis solutae) sesquidrachmam,
Farinae cujuslibet selibram,
Cervisiae fervefactae quantum satis, ut fiat cataplasma, vel
Adde cataplasmati domestico, carbonis ligni pulverati uncias duas.

Us. In ulceribus putidulis, gangræna, sphacelo.

Postrema duo mala, carbonum pulvere respersa, oleo Pini laricis, vel sylvestris destillato, humefiant interdum; dein cataplasma domesticum superdetur. Id quod e camphora conficitur, utpote carioris pre-

tii utrique oleo, sic, ut supra dictum, adhibito, postponi in curatione militum debet, eādem facultate pollenti.

CATAPLASMA
CONII MACULATI AMMONIATUM.

Cataplasma Cicutae compositum.

R. Farinae seminum Lini usitatissimi, vel
. .... Avenae sat. selibram
Foliorum recentium Conii maculati rite contusorum uncias duas,
Acidi acetici impuri quantum sufficit,
Coque parumper, et adde:
Muriatis Ammoniae semunciam.

Us. Tumoribus articulorum scrofulosis, ulceribus cancrosis, scirrhomatibus præternaturali irritabilitate stipatis, et gangrænæ adcommodum.

CATAPLASMA DAUCI CAROTÆ.

R. Radicum Dauci Carotae recentium, rasarum, quantum opus, ut parti admoveatur. Vel
Earundem quantum vis,
coque ex aquae sufficienti quantitate, donec mollescant, tum in pulpam contundito.

Us. Parti corporis nudæ admovendo, in curatione ulcerum putescentium, quæve cacoëthe vocant, canceraticorum, herpetum, perutile; psoriasis scroti, et genitalium, eidem cedit.

CATAPLASMA DISCUTIENS.

Speciebus post infusum aromaticum residuis addito unguenti simplicis duas uncias, et habebis cataplasma discutiens anthraci adcommodum.

vel

Cataplasmati emollienti adde:

Gummi-resinae F. Ammon, sufficienti quantitate aceti solutae semunciam,
Muriatis Ammoniae drachmas duas,
Alcoholis diluti cum, vel potius, sine Camphora unciam ut fiat cataplasma.

Us. Tumores articulorum asthenici, arthropuosis.

vel

R. Farinae secalitiae partes sex,
Fermenti panis veteris partes duas,
Muriatis sodae partem, Misce

Us. Rheumatalgia, arthrodynia etc.

CATAPLASMA EMOLLIENS vel DOMESTICUM.

R. Farinae hordeaceae, vel
...... Lini usitatissimi, vel
Micarum panis veteris, quantum vis
Coque ex aquae fontis, vel lactis sufficienti quantitate ad aptam crassitudinem.

Quum admovendum est, vel parti, cui cataplasma superdandum est, vel hujus superficiei Adeps Suis Scrofae, vel oleum prius illinatur, idque furunculis et aliis tumoribus inflammatoriis, vel vulneribus, ubi suppurationis movendæ necessitas incidit, idoneum.

CATAPLASMA FERMENTANS.

R. Farinae triticeae sescunciam,
Faecum Cerevisiae unciam,
Mellis semunciam. Misce, ut fiat cataplasma.

vel

R. Farinae avenaceae quantum vis,
Faecum Cerevisiae quantum satis.

vel

R. Farinae secalitiae libram,
Faecum Cerevisiae uncias novem,
Muriatis sodae uncias duas. Misce.

Us. In ulceribus putescentibus, gangraena, sphacelo, etc.

CATAPLASMA NICOTIANÆ TABACI.

R. Foliorum Nicotianae Tabaci unciam,
Acidi acetici impuri, vel
Aquae ferventis quantum satis,
Simul in cataplasma contundito.

Us. In herpete. — Quum emetica interne neutiquam exhiberi possunt, tum admotum cordis scrobiculo, vices eorundem supplet.

CATAPLASMA PUS MATURANS.

R. Farinae secalitiae partes duas,
Saponis picei,
Allii Cepae tosti,
Mellis, singulorum partem. Fiat cataplasma.

vel

R. Farinae avenaceae,
Mellis, utriusque pares portiones. Fiat cataplasma.

vel

Adde Cataplasmatis emollientis communis librae,
Allii Cepae crudi contusi, sescunciam,
Unguenti resinosi unciam.

vel

R. Radicis Allii Cepae quantum vis,
Coque ex aquae fontis sufficienti quantitate ad aptam mollitiem, ut fiat cataplasma.

CATAPLASMA SINAPINUM ACRE.

Sinapismus.

R. Farinae avenaceae, vel
Micae panis
Seminum sinapeos nigrae contusorum, utriusque uncias duas,
Radicum Cochleariae Armoraciae rasarum sescunciam,
Muriatis Ammoniae semunciam
Acidi acetici impuri quantum satis sit, ut fiat cataplasma.

V. et Us. Idem, ut cataplasmatis sinapini mitis; fortius tamen illo.

CATAPLASMA SINAPINUM MITE.

Sinapismus mitior.

R. Seminum Sinapis nigrae contusorum,
Farinae avenaceae, vel
. . . . . . triticeae, vel
Micarum panis, vel
Fermenti ejusdem, utriusque pares portiones.
Acidi aceti impuri quantum satis, ut fiat cataplasma.

Us. Vitia e reactione vis vitæ deficiente, ex sudore consueto locali suppresso, aut exanthematibus chronicis, vel acutis

retropulsis; paralysis, cephalalgia, stupor, coma cum, vel sine febre, delirium febrile; interioribus cruribus, femoribus, brachiis, nuchæque imponendum.

CERATA, EMPLASTRA, LINIMENTA, UNGUENTAQUE.

In parandis componendisque his, resinosa atque pinguia leniori igne liquefiant, aridis, si quæ præsto sint, sub jugi motu, simul inspersis, in pertenuem tenuatis pulverem, quoadusque frigescens riguerit miscela.

CERATUM ACETATIS PLUMBI.

Ceratum Saturni. Мазь свинцовая.

R. Olivi partes tres,
Cerae albae, vel flavae partem.

Simul leni igne liquefactis, et paulum refrigeratis probe movendo, paratis vicibus, adde:

Acetatis Plumbi liquidi partem, vel
. . . . crystallisati decimam partem. ad quin

Us. Cnesmus, excoriationes, adusta.

*

CERATUM OXY-CARBONATIS ZINCI PRÆPARATI.

Ceratum lapidis calaminaris.

R. Adipis Suis Scrofae selibram,
Cerae flavae,
Oxycarbonatis Zinci praeparati, utriusque unciam,
Olei B. Napi semunciam. Fiat ceratum.

V. Desiccans.

Us. Ulcusculis, et pustulis, cutis excoriationibus superficialibus, ad cicatrisationem promovendam aptum.

CERATUM SIMPLEX.

R. Olei B. Napi, vel alius congrui partes duas,
Cerae albae, vel flavae partem cum semisse,
Fiat ceratum.

CEREVISIA ANTISCORBUTICA.

R. Radicis Cochleariae Armoraciae,
Seminum Sinapis nigrae contusorum,
Extracti turionum Pini singulorum bilibram,
Syrupi Molasses libras quatuor,
Cervisiae tenuis, vel
Infusi Malti H. vel
Decocti ejusdem libras centum et viginti.

Stent leni digestione per dies quatuor, vel sex, ut fiat fermentatio, et cola.

Us. Scorbutus, paralysis. Interdum addita. Subcarbonatis potassæ libra, fiat maceratio sine calore, et aptum hydropisi fit remedium, diuretica vi enitens.

Dos. A selibra ad libram per diem.

CEROMEL.

R. Cerae albae, vel flavae partem,
Mellis partes quatuor.

Leni igne liquefacta, misce.

Us. Ad tegenda, et consolidanda ulcera, præcipue atonica.

Aliis plurimis emplastris, unguentis substitui potest.

CLYSTER ACETATUS.

R. Clysteris communis selibram,
Acidi acetici impuri, uncias duas — tres.
Misce.

Us. Alvus adstricta, ileus rebellis, narcotismus, id est apoplexia a venenis narcoticis, et phrenitis hydrocephalica etc. Infesta auctiori irritabilitate recti, quantitas aceti imminuitur.

CLYSTER ADSTRINGENS cum OPIO.

R. Decocturae gallarum Quercus Cerris, vel
.... corticis Quercus R. cum, vel sine
Supersulphate Aluminae et Potassae selibram,
Tincturae Opii guttas quinquaginta. Misce.

Us. Alvi fluxus rebellis, procidentia ani, hæmorrhoides mucosæ, sanguifluxus recti.

CLYSTER ALOETICUS.

R. Gummi - resinae Aloës perfoliatae (Socotorinae) in sufficienti quantitate vitelli ovi solutae drachmam,
Decoctunae seminum Hordei d: vel
.... Avenae sativae, vel
Lactis vaccini libram. Fiat clyster omni, vel alterna quaque nocte injiciendus.
Interdum, Muriatis Hydrargyri oxydati sesquigranum additur.

Us. Ascarides.

Eisdem virtutibus gaudent sequentia:

Injectio unciarum octo, linimenti calcarei.

vel

R. Succi Allii sativi unciam,
Lactis recentis uncias octo. Misce.

vel

R. Aquae, vel vini rubri selibram,
Muriatis Sodae quantum solvi potest. Misce.

vel

R. Seminum V. Sabadillae pulv: semidrachmam,
Aquae uncias decem.
Coque ad colaturam selibrae, adde: lactis recentis tantumdem.

CLYSTER AMYLI.

R. Amyli semunciam,
Aquae ferventis selibram,
Olei Lini usitatissimi, vel
Olivi, vel
Butyri semunciam, misceantur.

Us: Tenesmus, dolor intestinorum, diarrhœa, dysenteria, stranguria, hæmorrhois, etc.

CLYSTER CATHARTICUS.

R. Infusi foliorum Cassiae Sennae uncias quatuor,
Sulphatis magnesiae unciam,
Aquae tepidae uncias septem,
Olei lini usitatissimi, vel
Olivi unciam. Misce.

CLYSTER COMMUNIS.

R. Muriatis sodae, vel
Sulphatis ejusdem semunciam, vel
Saponis sebacei drachmas duas,
Decocturae seminum Hordei d. vel
.... Avenae sativae, vel
.... Radicis Althaeae off. vel
Infusi seminum Lini usitatissimi sine Glycyrrhiza, vel infusi florum M. Chamomillae, vel
Aquae tepidae libram.
Olei Lini usitatissimi unciam. Misce.

CLYSTER GUMMI-RESINÆ F. ASÆ FOETIDÆ.

R. Gummi-resinae F. Asae foetidae in vitello ovi solutae drachmas duas,
Aquae ferventis uncias decem.
Cui subinde addito: Tincturae Opii guttas quinquaginta.

Us. Spasmi, hysteria, ataxia, convulsiones, singultus, colica spasmodica, verminosa, flatulenta etc.

CLYSTER NUTRIENS.

R. Decocturae carnis bubulae fortioris uncias octo,
Amyli semunciam. Misce.

Tertia, vel quarta quaque hora injiciendus.
Huic, si citius rejiciatur, adde:
Tincturae Opii drachmam.

Us. Dysphagia, omnibusque in casibus, ubi ex deglutitione suspensa, nutritio corporis requiritur.

CLYSTER OPIATUS.

R. Clysteris Amyli, vel
Infusi seminum Lini usitatissimi sine Glycyrrhiza, uncias quatuor,
Tincturae Opii guttas quinquaginta. Commisce.

Us. Convulsio, trismus, cholera, diarrhœa, dysenteria, tenesmus, stranguria, colica spasmodica etc.

CLYSTER TABACINUS.

R. Foliorum Nicotianae Tabaci semunciam,
Infunde Aquae ferventis uncias decem, per quadrantem horae; colatura injiciatur.

Us. Ileus, alvus pertinaciter compressa, hernia incarcerata, asphyxia, phrenitis hydrocephalica, ascarides.

Clyster hic vomitionibus quoque provocandis, urgente in primis dysphagia, aptus.

CLYSTER TEREBINTHINATUS.

R. Balsami Pini Laricis semunciam,
Decocti seminum Hordei d: vel
Infusi seminum Lini usitatissimi per se, uncias decem,
Olei Lini usitatissimi unciam.

Interdum tincturæ Opii guttæ quinquaginta adduntur.

Us. Ischuria, dysuria, cystirrhœa.

COLLYRIUM ACETATIS AMMONIÆ LIQUIDI.

R. Acetatis Ammoniae liquidi,
Aquae Rosae centifoliae, vel
..... fontanae utriusque selibram. Misce

Interdum additur:

Tincturae Opii drachma, vel
.... Humuli Lupuli, vel
.... Hyosciami nigri sesquidrachma.

V. Egregie sedans.

Us. Ophthalmia, abnormi irritabilitate stipata etc.

COLLYRIUM SUPERSULPHATIS ALUMINÆ ET POTASSÆ.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae scrupulum,
Aquae selibram. Solve.

vel

Cataplasmati aluminoso addatur,
Aquae destillatae libra.

V. Adstringens.

Us. Ophthalmia sthenica. Nyctalopia; interne roborantia, antiscorbutica eodem tempore propinando.

DECOCTURA ALTHÆÆ OFFICINALIS.

R. Radicis Althaeae off. siccatae, et incisae uncias quatuor.
Fructus sicc. Vitis viniferae, vel
.... Fici Caricae demptis acinis uncias duas, vel
Radicis Glycyrrhizae glabrae unciam,
Aquae libras septem.

Decoque aquam cum Althæa leni igne ad libras quinque, ubi Glycyrrhiza substituitur, sub finem coctionis addenda. — Liquorem colatum sepone, donec fæces subsederint, et effunde.

Dos. Libræ duæ in dies partitis vicibus.

DECOCTURA ANTISCORBUTICA.

R. Specierum turionum Pini sylvestris sescunciam,
Aquae purae sesquilibram,
Decoque ad colaturam librae, cui si lubet, adde:
Acidi Tartarici semidrachmam, vel
..... sulphurici diluti drachmam, vel
Roob baccarum V. Oxycocci, vel
Syrupi Molasses, vel
Oxymellis simplicis, vel
Succi Citri medicae unciam.

Dos. Libra, et amplius quotidie.

DECOCTURA ARCTII LAPPÆ.

R. Radicis Arctii Lappae, concisae uncias duas,
Aquae fontanae libras tres, coque ad colaturae
libras duas.

In colata decoctura interdum solvitur Sulphatis potassæ drachma, quo cuticularibus vitiis aptior fit.

Dos. Libræ duæ partitis vicibus in dies.

DECOCTURA
CINCHONÆ OFFICINALIS.

R. Corticis Cinchonae off. contusi, vel in pulverem
triti unciam,
Aquae ferventis sesquilibram.

Decoque ad remanentem libram, et liquorem adhuc calentem per vetustum linteum, et rarum exprimendo cola.

Dos. Unciæ binæ, bis, ter, quater, vel sæpius de die.

Interdum sub finem coctionis adduntur:

Corticis Lauri Cassiae drachmae duae, vel
Extracti Glycyrrhizae gl. semuncia, vel
Radicis Angelicae A. drachmae duae, vel
...... A Serpentariae tantumdem, vel
...... Valerianae sylvestris tantumdem.

Subinde singulis decocturæ dosibus vel, ante, vel statim post ejusdem exhibitionem, in vehiculo idoneo propinare licet:

Acetatis ammoniae liquidi semunciam, vel
Acidi sulphurici aromatici gutt quindecim ad triginta, vel
Aetheris sulph. alcoholisati guttas viginti vel
Aetheris sulphurici alcoholisato camphorati guttas decem, vel
Alcoholis camphorati guttas decem, vel
.... diluti drachmam ad duas, vel
Pulveris aromatici scrupulum, vel
.... radicis Colombae grana decem, vel
.... Rhei p. grana quatuor vel
.... Serpentariae grana decem, vel
.... Valerianae off scrupulum vel
Subcarbonatis ammoniae liquidi guttas quadraginta vel
Tincturae A. Serpentariae drachmas duas vel
.... Cinchonae drachmas duas ad semunciam, vel
.... Gummi resinae Guajaci guttas quadraginta, vel
Tincturae Opii guttas quinque, vel
.... Valerianae aethereae semidrachmam.

DECOCTURA DAPHNES MEZEREI.

R. Corticis Daphnes Mezerei, drachmas duas,
Radicis Glycyrrhizae glabrae semunciam,
Aquae fontanae libras tres. Decoque leni igne sub finem addendo radicem Glycyrrhizae gl. ad bilibram, et cola.

Dos. Libra in dies, partitis vicibus.

DECOCTURA FURFURIS.

R. Furfuris uncias quatuor,
Aquae fontanalis libras duodecim.

Coque ad libras novem, cum subsederit furfur elutriandas.

Vices decocturæ Hordei d. supplet.

Interdum singulis ejusdem libris additur:

Syrupi simplicis,
vel Mellis uncia,
Succi V. Oxycocci quantum satis sit ad gratiam.

DECOCTURA HÆMATOXYLI CAMPECHIANI.

R. Ligni Haematoxyli Campechiani rasi sescunciam,
Corticis Lauri Cassiae drachmam,
Aquae fontis bilibram.

Lignum ex aqua decoque ad libram, sub finem coctionis addens corticem, et cola.

Dos. Uncia ad duas, ter, vel sæpius in diem.

DECOCTURA HORDEI D. PER SE, ET NITRATA.

R. Seminum decorticatorum Hordei d. uncias duas,
Aquae communis libras quinque,
Decoque ad dimidium, et colaturae, si lubet, adde:
Mellis puri, vel
Oxymellis simplicis, uncias duas.

Us. Pro potu ordinario.

Si vero huic addas Nitratis potassæ drachmas duas, habebis Decocturam Hordei d. nitratam, cujus dosis erit unciæ tres, quatuor, sæpius de die.

DECOCTURA LICHENIS ISLANDICI.

R. Lichenis Islandici semunciam,
Aquae fontanalis sesquilibram,
Coque ad libram, et adde sub finem coctionis:
Radicis Glycyrrhizae glabrae rasae drachmam, vel
Mellis puri semunciam.

Us. Cum, vel sine lacte: morbi pulmonum atonici, pertussis, phthisis pituitosa, tabes, leucorrhœa, ect.

Dos. Unciæ quatuor, ter quaterve in diem.

DECOCTURA MALTI HORDEI D. COMPOSITA.

R. Malti Hordei d. uncias quatuor,
Specierum turionum Pini sylv. compositarum uncias duas.

Decoque ex aquæ fontanalis libris quatuor ad tres colaturæ.

vel

R. Decoturae Malti h. per se,
. ... antiscorbuticae acidulae, pares portiones.

Dos. Unciæ quatuor, ter quaterve de die.

DECOCTURA MALTI HORDEI D. PER SE, VEL ACIDULA.

R. Malti (i. e. semina Hordei d. aqua humectata, dein accumulata, ut tepescant, et germinent, et tunc demum subito siccata, inque molendina fracta) selibram,
Aquae fontanae libras sex.

Decoque ad colaturam librarum quatuor; cui interdum recte adduntur:

Acidi tartarici drachmae duae, vel
.... sulphurici diluti semuncia, vel
Roob baccarum V. Oxycocci, vel
Molasses, vel
Oxymellis simplicis, vel
Succi Citri medicae unciae tres.

Us. Per se, pro potu ordinario propinatur ad libitum in scorbuto. In connubio autem aliorum, libra ad bilibram partitis vicibus quotidie in eundem finem datur; indeque Cerevisia antiscorbutica paratur.

NB. Persæpe loco decocturæ, infusum ejusdem propinatur.

DECOCTURA MUCILAGINEA.

R. Gummi Mimosae niloticae unciam,
Solve in decocturae Hordei d. libra, et adde:
Oxymellis simplicis semunciam.

vel

R. Aquae purae libram,
Cornu Cervi Elaphi rasi,

Gummi Mimosae niloticae, utriusque unciam.
Coque, ut solvantur, et cola.
Adde: si vis, Sacchari puri semunciam.

Us. Dysuria, dysenteria, diarrhœa, nephritis, cystitis, etc.

Dos. Ut, et præcedentis.

DECOCTURA ORCHIDIS MORIONIS PER SE, VEL AROMATICA.

R. Pulveris radicis Orchidis Morionis drachmam,
Aquae fontanalis sesquilibram,
Decoque ad libram colaturae, si lubet, addendo:
Sub finem coctionis, corticis Lauri Cassiae contusi drachmam vel
Liquori colato admiscendo:
Tincturae aromaticae unciam,
Sacchari albi tantundem.

Us. Diarrhœa, dysenteria etc.

Dos. Ut, et præcedentis.

DECOCTURA POLYGALÆ AMARÆ.

R. Rad. Polygalae amarae semunciam,
Aquae sesquilibram.
Coque ad libram, et colaturae interdum, si placet adde:
Radicis scillae maritimae praep: scrupulum,
Mellis semunciam.

Dos. Unciæ binæ, ter, quaterve de die.

DECOCTURA QUERCUS ALUMINOSA.

R. Corticis Quercus R: drachmam,
Aquae fontis libram, coque ad uncias octo; et adde:

Supersulphatis Aluminae et Potassae drachmam,
Syrupi simplicis semunciam.

Us. Sanguinis profluvia, etc.

Dos. Uncia, ter quaterve de die, plus, vel minus, rarius, vel sæpius, ne alvus plus æquo compressa esset. Omisso syrupo persæpe *externe* pro lotione fomentoque adhibetur, et gargarisma antisepticum ingreditur.

DECOCTURA RHODODENDRI CRYSANTHI.

R. Herbae Rhododendri c: siccatae drachmas duas,
Aquae fervidae libram,
Committe vasi fictili luto oblito et digere leni calore per horas duodecim liquoremque cola.

Dos. Unciæ duæ, alterna quaque hora ad quartam vicem, nisi vertigo, nausea, vomitus, vel alia mali ominis ulteriorem administrationem vetent.

DECOCTURA SALICIS COMPOSITA.

R. Corticis salicis drachmas novem,
Gentianae l: radicis drachmam,
Aquae sesquilibram, decoque ad libram.

Interdum corticis Quercus R: drachmæ duæ addi possunt.

Succedanea decoctui Cinchonæ off.

Eadem citra additamentum Quercus facta, cum aliis, quorum, penes decoctum Cinchonæ off. mentio injecta est, apposite consociari potest.

DECOCTUM SPECIERUM GUAJACI COMPOSITARUM.

Decoctum lignorum.

R. Specierum Guajaci compositarum uncias tres,
Aquae ferventis libras tres,
Decoque ad remanentem bilibram, sub finem coctionis addendo: radicis Glycyrrhizae gl. drachmas duas, cola.

Subinde loco Glycyrrhizæ gl: liquori colato mellis puri semuncia recte additur.

Dos. Bilibra de die partitis vicibus.

DECOCTURA SPECIERUM GUAJACI COMPOSITARUM CUM DAPHNE MEZEREO.

Fit eodem modo, ut decoctura specierum Guajaci compositarum, addita singulis decoctus libris, Daphnes Mezerei drachma.

vel

R. Decocturae specierum Guajaci compositarum,
.... D: Mezerei utriusque pares portiones, Misce.

Dos. Libra ad sesquilibram de die datur.

DECOCTURA ULMI CAMPESTRIS.

R. Corticis interioris Ulmi campestris unciam, decoque ex aquae fontinalis libra ad selibram.

Dos. Selibra bis terve per diem.

ELÆOSACCHARUM C. CARVI.

R. Sacchari puri pulverati semunciam,
Olei destillati C. Carvi guttas duodecim, Misce.

Eodem modo parantur:

ELAEOSACCHARUM MENTHAE CRISPAE.
PIMPINELLAE ANISI.
ANETHI FOENICULI. etc.

Us. Pulveribus variis junguntur elæosacchara in genere, ad parandas ejusdem nominis aquas extemporales.

EMBROCATIO, VEL LINIMENTUM SAPONIS RUBEFACIENS.

R. Saponis terebinthinati uncias duas,
Olei destillati Pini laricis unciam, solve in Alcoholis diluti camphorati unciis octo, adde:
Ammoniae liquidae sescunciam,
Tincturae Lyttae vesicatoriae semunciam.

V. Præstans, stimulans, solvens etc.

Us. Arthrodynia, myodynia rheumatica, paralysis.

EMPLASTRUM GUMMI-RESINOSUM.

R. Emplastri oxydi Plumbi semivitrei
partes duodecim,
Gummi-resinae F. Ammon depuratae,
.... B. Galbani depuratae,
Balsami Pini Laricis, aut sylvestris,
Cerae flavae, singulorum, partem.
Liquefacta, probe movendo commisceto.

Us. Tumores atonici, vel sthenici ægre abscedentes, verruca, clavus, et similia.

Oleum Bras. Napi, Lini usitat. Oleæ Europeæ, Sesami orientalis, virtutibus consimilibus gaudent, alterum proinde pro altero, pro circumstantium rerum ratione adhiberi potest; præferendo tamen id, quod pro fertilitate provinciæ, pretii est levioris; postrema autem duo id privum habent, quod etiam vicario olei Ricini communis munere, ubique pene, fungi queant.

EMPLASTRUM LYTTÆ VESICATORIÆ.

R. Emplastri simplicis partes quatuor,
Adipis Suis Scrofae praeparatae
partem dimidiam,
Fusis simul pedetentim sub jugi motu inspergito, Lyttae vesicatoriae pulveratae
partes duas cum dimidia.

Loco hujus emplastri, emplastro T. Meliloti super alutam, vel pulmento panis se-

calini, linteo extenso, pulveris Lyttæ vesicatoriæ inspersio vices supplet, atque eundem exserit effectum citius.

Pars, cui admovendum est emplastrum pulvere Lyttæ vesicatoriæ respersum, primo, aceto perfricetur, quo facilius actionem suam producat.

EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI.

Emplastrum Lythargyri. Commune. Diachylon simplex.

R. Oxydi plumbi semivitrei pulverati partem, Olei Oleae Europeae, vel alterius congrui partes duas.

Coque leni igne, addens subinde aquæ tepidæ pauxillum, præcavendæ combustionis ergo, et assidue agita, donec oleum, et oxydum in emplastrum coëant. Dum liquescunt, enitendum, ne mistura plus æquo calefiat.

Si ad quinque partes emplastri supradicti, balsami Pini sylvestris exsiccati additur pars, EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI RESINOSUM, habebis olim EMPLASTRUM ADHAESIVUM dictum.

PRAEP. *Empl. gummi-resinosum. — Empl. oxydi plumbi semivitrei compositum.*

EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI COMPOSITUM.

Saponatum.

R. Emplastri Oxydi plumbi semivitrei partes quatuor,
Saponis sebacci partes duas,
Muriatis ammoniae partem.

Sapone, et emplastro simul liquefactis, et semi-refrigeratis Murias ammoniae subtilissime tritus addatur.

Hoc emplastrum illico, simulac factum est, parti affectæ superdetur.

Us. Fungus articulorum, aliive tumores asthenici, vulgo frigidi, sic dicti.

EMPLASTRUM OXYNITRATIS HYDRARGYRI ET AMMONIÆ.

Emplastrum mercuriale.

R. Emplastri simplicis libram,
Oxynitratis hydrargyri et ammoniae drachmas duas ad tres.
Fiat emplastrum.

Us. Indurationes.

Si singulis hujusce emplastri unciis additur Tartratis stibii et potassæ semidrachma, vis ejusdem intenditur.

V. Irritans, calefaciens, sæpe pustulas movens.

Us. Rheumatalgia, struma, hydrarthrus, etc.

EMPLASTRUM SIMPLEX.

Emplastrum cereum.

R. Cerae flavae partes tres,
Adipis Suis Scrofae praeparatae partes duas,
Balsami Pini sylvestris exsiccati partem.
Colliquefacta, misce.

Praep. *Empl. Lyttae vesicator. — Empl. Oxynit. hydr. et ammon.*

EMPLASTRUM T. MELILOTI.

R. Balsami Pini sylv. exsiccati libras duas,
Adipis Suis Scrofae praeparati uncias sedecim,
Cerae flavae libram,
Olei olivarum, vel alius congrui uncias quatuor.
Herbae cum floribus T. Meliloti libram.
Colliquescentibus ceteris in finem pulvis addatur.

EXTRACTUM AMARUM.

R. Herbae Artemisiae Absynthii,
...... Menyanthes trifoliatae,
Radicis Gentianae luteae, singulorum quantum velis.

Concisa, coque ad perfectam extractionem in aquæ communis sufficiente quantitate, post colaturam, expressionemque residui, decoctura evaporet, lenique igne inspissetur, ut fiat extractum ex una, vel omnibus simul.

V. Roborans, peptica.

Dos. A granis decem ad triginta.

EXTRACTUM GENTIANÆ LUTEÆ.

R. Radicis Gentianae luteae quantum libet.

Concisæ huic, et contusæ, octuplum destillatæ aquæ adfundito, et ex hac ad dimidium decoquito ad perfectam videlicet virium ejusdem extractionem. Decocturà dein valide expressa, filtretur, et illico per vaporationem ad mellis spissioris crassitudinem redigatur in balneo fervefactæ aquæ, sodæ Muriate, lege artis, saturatæ.

V. Us. et Dos. ut præcedentis.

Sic parantur.

EXTRACTUM GLYCYRRHIZAE GL. *dosis drachma ad tres.*

.... LIGNI H. CAMPECHIANI, *dosis scrupulum ad duo.*

.... RADICIS TORMENTILLAE ERECTAE, *dosis ut Kino.*

.... CORT. SALICIS, *dos. grana decem ad quadraginta.*

.... TURIONUM PINI SYLV. *dos. grana decem ad semidrachmam.*

NB. Priora tria ad siccitatem evaporent,

FOMENTUM ALUMINOSUM.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae semunciam,
Solve, in acidi acetici impuri selibra,
Dein adde: Alcoholis diluti tantundem,

Us. Pernio, genu aliarumque articulationum dolores, et tumores; linteum hoc liquore constanter madefactum, applicando.

FOMENTUM AROMATICUM.

Frigide, aut tepide superdandum, prout opus erit, vide *Infusum Specierum aromaticarum.*

Us. Vitia localia reactione vis vitæ, æquo minori, stipata.

FOMENTUM COMMUNE PER SE, VEL CUM MURIATE AMMONIÆ.

R. Alcoholis diluti selibram,
Acidi acetici diluti libram. Misce.

Interdum adduntur:

Muriatis ammoniae drachmae duae.

vel

R. Aquae bilibram,
Acidi acetici impuri,
Alcoholis diluti, utriusque libram,
Muriatis ammoniae, semunciam,
Tepide, vel frigide admovendum.

Us. In ecchymosi, contusione etc. linteis humefactis superdandum.

FOMENTUM COMMUNE TEPIDUM.

Vesica bovilla, vel suilla repleatur ad dimidium aqua tepida, et parti affectæ admoveatur.

vel

Pannus laneus porosus, aquæ fervidæ immersus, dein expressus applicetur, renovando simulac frigescet.

FOMENTUM SAPONIS AMMONIATUM.

R. Solutionis Saponis,
Acetatis ammoniae liquidi, utriusque unciam,
Ammoniae liquidae semunciam.

V. Stimulans, solvens.

FOMENTUM SAPONIS COMPOSITUM.

R. Acetatis Ammoniae liquidi uncias quatuor,
Solutionis Saponis uncias duas. Misce.

V. et Us. Ut, et præcedentis; debilior tamen.

FOMENTUM VULNERARIUM ACIDUM.

Aqua vulneraria.

R. Acidi acetici partes sex,
Alcoholis diluti partes tres,
Acidi sulphurici diluti partem,
Mellis despumati partes duas.
Misce, et cola, si opus.

Us. Vulneribus recentibus, ulceribusque asthenicis multum puris fundentibus, aptum.

GARGARISMA ALUMINOSUM.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae drachmam
ad sesquidrachmam,
Decocturae Hordei d: vel
Infusi florum Sambuci nig. vel
..... foliorum Salviae bilibram,
Acidi sulphurici diluti guttas triginta,
Mellis flavi unciam, vel
Sacchari puri semunciam.

Us. Ulcera atonica faucium, et gurgulionis; angina ulcerosa, aut gangrænosa, maligna dicta, præcipue cum scarlatina juncta; item et gingivarum, et uvulæ laxitate etc.

GARGARISMA AMMONIATUM.

R. Decocti Hordei d. vel
...... radicis Althaeae off. libram,
Subcarbonatis Ammoniae, vel
Ammoniae liquidae drachmam ad duas, vel
Alcoholis ammoniati semunciam.

Us. Tonsillitis (initio morbi), odontalgia, otalgia rheumatica, paralysis linguæ.

NB. Si majus stimulans requiritur, loco decocti Hordei adhibetur quidem Aqua aromatica, vel infusum Synapis nigræ.

GARGARISMA ANTISEPTICUM.

Alcohol dilutum hacce intentione utiliter adhibetur.

vel

R. Decocturae Quercus R. aluminosae libram,
Acidi acetici impuri,
Tincturae Gummi-resinae Myrrhae,
utriusque unciam. Misce.

Interdum loco Acidi acetici impuri adduntur guttæ quindecim acidi sulphurici, vel muriatici.

GARGARISMA COMMUNE PER SE, VEL CUM SYNAPI.

R. Decocti Hordei d. vel
..... Althaeae off: vel
Aquae fontanae libram,
Acidi acetici impuri uncias duas,
Mellis flavi unciam.

Cui interdum additur seminum Synapeos nigræ pulveratorum semuncia.

GARGARISMA MURIATIS AMMONIÆ.

R. Muriatis Ammoniae drachmam ad duas,
Infusi specierum aromaticarum, vel
..... florum Arnicae m. vel
.... M. Chamomillae, vel
Decocturae Hordei d. libram,
Oxymellis simplicis unciam. Misce.

Us. Salivam movendo, brevi tonsillitidem propulsat.

GARGARISMA MURIATIS HYDRARGYRI OXYDATI.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati grana quatuor,
Muriatis Ammoniae drachmam,
Decocti Hordei d. vel
...... radicis Althaeae off. libram,
Mellis flavi unciam Misce.

Us. Ulcera faucium internarum syphilitica, phagedænica.

GARGARISMA SUB-BORATIS SODÆ.

R. Subboratis Sodae semunciam,
Solve in aquae fontanae libra, et adde:
Mellis flavi semunciam.

Interdum huicce gargarismati additur alcoholis impuri uncia, vel sescuncia,

Us. Ptyalismus, aphthæ, etc.

GAZA.

Fluida, elastica, aerea.

Gaz acidum carbonicum. *Aër fixus, mephiticus*; Mofetta quorumdam.

Acidum carbonicum calore junctum.

Us. Ad aquas minerales acidulas, acidulo alcalinas, et acidulo-ferrugineas parandas; item ad alcalia, hoc acido saturanda.

Videsis: *Aquam mineralem acidulam.*

Gaz azoticum. *Nitrogenium.*

Azotum principio calorico junctum.

Gaz azoticum oxygenatum.

Igni, in vase vitreo, Nitratem ammoniæ (ex Ammonia acido Nitrico saturata constantem) exponendo, obtinetur.

V. Exhilarans, systematis muscularis actionem incitans.

Us. Inspirando: asthenia muscularis, paralysis.

Gaz Hydrogenium. *Aër inflammabilis; Gaz inflammabile.* Hydrogenium principio calorico junctum.

Gaz hydrogenium carbonatum.

Gaz hydrogenium portionem Carbonici continens. Instillando aquam in ardentes carbones vase clauso in apto adparatu, Wattii.

Us. Cautus inspiratione; hæmoptysis, tabes pulmonalis ulcerosa, catarrhus, tussis, etc. Incaute, et diutius inspiratum, apoplexiam, et præcox fatum inducit.

Gaz hydrogenium sulphuratum. *Aër hepaticus.*

Videsis: *aquam mineralem sulphuratam.*

Gaz Oxygenium.

Oxygenium principio calorico nuptum.

R. Oxydi Manganesii nigri quantum lubet.

Igni in vitrea retorta, exponito, ut quidquid humoris aërisque athmospherici eidem inest, abigatur; dein collum retortæ cum capaci excipulo, vel camera plumbo obducta, luto junge, atque ignem, ut incandescat massa, gradatim auge. Aër athmosphericus e camera ope antliæ pneumaticæ subtrahatur, vel initio operationis, per aliquod tempus, aëri exitus concilietur.

Us. Gaz pulmonibus inflatum asphyxiæ suspensorum, submersorum, atque vapore carbonum, etc. vita adparenter privatorum opitulatur. In asthmate quoque, et morbis atonicis, præconia tulit.

Athmosphera, hujus gazis partibus 27, et gazis azotici 73 constat.

HAUSTUS ACIDUM CARBONICUM EVOLVENS.

Vulgo, *Haustus salinus effervescens.*

R. Subcarbonatis potassae scrupulos duos, vel
Subcarbonatis ammoniae scrupulum,
Aquae fontanae uncias duas. Misce.

R. Succi Citri medicae recentis unciam, vel
Acidi acetici impuri tantumdem,
Syrupi simplicis,
Aquae fontanae utriusque semunciam. Misce.

Solutione subcarbonatis potassæ, vel ammoniæ prius sumta, mistura e succo Citri medicæ, vel acidi acetici impuri illico porrigenda est.

V. Nauseam, vomitumque a præternaturali ventriculi irritabilitate ortum, sistit.

HAUSTUS ACETATIS AMMONIÆ ET STIBII.

R. Acetatis Ammoniae liquidi unciam,
Tincturae Opii,
Vini tartratis stibii et potassae,
utriusque guttas viginti quinque,
Syrupi simplicis drachmas duas. Misce.

V. Egregie sudifica.

HAUSTUS CAMPHORATUS.

R. Camphorae (ope aliquot guttarum alcoholis pulveratae) grana quinque,
Gummi Mimosae niloticae scrupulum,
Sacchari puri drachmam,
Simul bene tritis, sensim adde;
Aquae fontanae drachmas decem.

Interdum adduntur:

Subcarbonatis ammoniæ grana quinque ad scrupulum.

Gummi-resinæ F. Asæ fœtidæ grana decem ad semidrachmam, vel utrumque simul, vel alterutrum.

HAUSTUS GUAJACINUS.

R. Gummi-resinae Guajaci off. grana quindecim
ad drachmam dimidiam,
Gummi Mimosae niloticae drachmam,
Sacchari puri scrupulum
Tere simul. et paulatim affunde:
Aquae Menthae piperitae sescunciam.

Interdum adduntur:

Subcarbonatis Ammoniae grana quinque ad quindecim,
vel
Camphorae grana quinque, vel
Tincturae Opii guttae viginti, separatim, vel conjunctim.

HAUSTUS OPIATO-STIBIATUS

R. Haustum opiatum,
Vini Tartratis Stibii et Potassae, guttas triginta,
Misce.

V. Sudifica.

HAUSTUS OPIATUS.

R. Tincturae Opii guttas viginti quinque,
Aquae fontaneae unciam,
Syrupi simplicis drachmas duas. Misce.

HAUSTUS SAPONACEUS.

R. Olei Oleae Europeae, vel
.... Sesami orientalis sescunciam,
Aquae Menthae piperitae unciam,
Tincturae aromaticae drachmam,
Ammoniae liquidae guttas viginti. Misce.

Us. Catarrhus alvus adstricta; vermes, lithiasis; trismus neonatorum.

HAUSTUS TEREBINTHINATUS.

R. Balsami Pini Laricis in vitello ovi soluti, scrupulum ad semidrachmam
Aquae Menthae piperitae, vel
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae unciam,
Tincturae aromaticae,
Syrupi simplicis, utriusque sesquidrachmam.
Misce.

Us. Blennorrhœa; morbi hydropici, pituitosi.

HYDRARGYRUM PURIFICATUM.

Hydrargyrum vulgo venale, usibus medicis minus idoneum; medicamentarii enim negociatores turpilucricupidi, depravant illud, augendique ponderis gratia, sæpe plumbo, quandoque etiam Stanno, et Bismutho inquinant, quæ, utpote viliora metalla hydrargyrus solvit, et in se, immutata fluiditate sua, recipit. Ut ab hacce incongruorum additamentorum labe liberetur, destillatio opus est, quae sic instituitur:

R. Hydrargyri quantum velis.

E ferrea cucurbita ad medietatem hocce metallo repleta, tuboque ferreo verticaliter erecto, dein recurvato prædita, atque cum vitreo recipiente capaciori, ad dimidium frigida aqua repleto, sic junc-

tum, ut orificium colli superficiei aquæ immersum sit, fiat destillatio ex arenæ balneo.

Us. Pro compositionibus variis, atque præparatis, videsis: *Mur. hydr. oxydat.* — *Mur. hydr. oxydulatum.* — *Nitrat. hydr. liquid.* — *Oxynitr. hydr. et ammon.* — *Pil. suboxydi hydrarg.* — *Ung. nitrat. hydrarg.* — *Ung. suboxydi hydrargyri.*

HYDRO-SULPHURETUM POTASSÆ.

Kali sulphuratum Ph. Bor. Hepar Sulphuris.

Сѣрная печенка.

R. Subcarbonatis Potassae,
Sulphuris sublimati, utriusque pares portiones.

Contrita simul, amplo loricato crucibulo immittantur, atque adaptato operculo, et prunis cautim subditis, denique liquefiant. Crucibulo, simulac refrixerit, fracto, hydrosulphuretum ablatum, in phiala probe obturanda, reponito.

Us. Ptyalismus, et alii morbi ex Hydrargyro; rheumatalgia; psora; herpes; tinea; phthisis, etc. per se, vel in aqua solutum, item ad aquas minerales sulphureas arte parandas, et ad parandum sulphur præcipitatum.

Dos. Grana decem, viginti, triginta, sæpius de die.

INFUSUM DIGITALIS PURPUREÆ.

R. Foliorum siccatorum Digitalis purpureae semunciam,
Aquae fervidae uncias viginti.

Infunde vase clauso, refrigeratum cola; cui non alienum erit adjicere:

Tincturae aromaticae unciam.

Colaturæ cochlear majus æqualem vim pulveris foliorum grano, prodit, bis, vel ter per diem adultis dando.

INFUSUM EXTRACTI MIMOSÆ CATECHU.

R. Extracti M. Catechu, drachmas duas cum semisse,
Pulveris corticis Lauri Cassiae semidrachmam,
Aquae bullientis uncias septem.

Infundantur extractum, et cortex cum aqua in vase clauso, per horas duas, et liquori colato, adde: syrupi simplicis unciam.

Dos. Uncia, tertia quaque hora.

INFUSUM EXTRACTI M. CATECHU CUM OPIO.

R. Infusi extracti M. Catechu uncias octo,
Tincturae Opii drachmas duas. Misce.

Cui interdum additur:

Tincturae aromaticae uncia, vel
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae
unciae duae.

V. Adstringens, sedans.

Us. Diarrhœa; lienteria; dysenteria; sanguifluxus intestinorum.

Dos. Semuncia, tertia quaque hora, illico, ut factum est, ne præcipitetur opium, præbeatur, vel ante singula præbia conquassetur phiala.

INFUSUM
FLORUM ARNICÆ MONTANÆ.

R. Florum Arnicae m. sesquidrachmam,
Aquae ferventis libram.

Infunde per horam, et cola.

Dos. Unciæ duæ ad quatuor, ter in die.— Inservit etiam Gargarismati muriatis Ammoniae.

INFUSUM
FLORUM M. CHAMOMILLÆ cum SUBCARBONATE POTASSÆ.

R. Infusi florum M. Chamomillae
sesquilibram,
Subcarbonatis Potassae depurati drachmam.
Misce.

V. Peptica, antacida, leniter diuretica.

Dos. Selibra ad libram.

INFUSUM FOLIORUM CASSIÆ SENNÆ.

R. Foliorum C. Sennae sescunciam,
Seminum A. Foeniculi, vel
.... P. Anisi contusorum semunciam,
Supertartratis Potassae drachmas duas,
Aquae fontalis libram.

Supertartratem Potassæ in aqua coquendo, liquorem adhuc ferventem Sennæ, et seminibus affunde.

V. Cathartica.

Dos. Unciæ duæ, tres, pro prima dosi; dein vero, quavis hora unciatim, donec alvus semel, bis, terve ducta fuerit.

INFUSUM LINI USITATISSIMI.

R. Seminum Lini usitatissimi uncias duas,
Radicis Glycyrrhizae glabrae semunciam,
Aquae ferventis libras quatuor.

Infunde ad focum per horas tres, et cola.

Cui interdum additur:

Succus citri medicae, vel *Roob-baccarum V. Oxycocci*, vel *Oxymel simplex*, vel *Saccharum purum*, *ad gratam aciditatem*, *dulcedinemque.*

Us. Dysuria, catarrhus, pneumonia, blennorrhœa, ischuria incipiens. Nephritidi, splenitidi, hysteritidi, auxillio est; ceteris vero phlegmasiis, ut cystitidi etc. liquida talis modi, tantum abest, ut mol-

limentum præstent, ut potius onere suo, et malum irritent, et conflictanti periculum facessant.

INFUSUM NICOTIANÆ TABACI.

R. Foliorum Nicotianae. T. drachmas duas,
Aquae ferventis uncias quatuor.

Infunde in vase clauso in balneo aquoso per horas sex, infuso expresso adde:

Alcoholis unciam.

V. et Us. Videsis: Nicotiana T.

Dos. Guttæ viginti ad drachmam, dosin sensim sensimque augendo.

Nicotiana T., protracto usu, ventriculo insidias struit, succum gastricum vitiat, orexim minuit etc.

vel

R. Foliorum siccatorum Nicotianae T. unciam,
Vini albi hispani libram.

Macera per septimanam, et per chartam cola.

V. Eadem, ut præcedentis; præstantior tamen.

Dos. Semidrachma ad sesquidrachmam e quovis potu conveniente.

INFUSUM QUASSIÆ EXCELSÆ.

R. Ligni Quassiae excelsae rasi drachmas duas,
Aquae fontanae ebullientis libram.

Infunde per horas duas, et cola.

Dos. Unciaſ duæ vacuo stomacho.

INFUSUM RADICIS A. SERPENTARIÆ.

R. Radicis A: Serpentariae semunciam,
Infunde aquae bullientis libram.

Stent per semihoram in vase clauso, et cola.

INFUSUM RADICIS GENTIANÆ LUTEÆ COMPOSITUM.

R. Radicis Gentianae luteae semunciam,
Fructus Citri aurantii immaturi,
Radicis A: Zingiberis, utriusquae drachmam,
Alcoholis diluti uncias quatuor,
Aquae libram.

Affunde primum Alcohol, dein post tres horas aquam, tum digere leni calore per horas duodecim, et cola.

Dos. Unciæ duæ, bis terve de die.

INFUSUM RADICIS RHEI PALMATI ALCOHOLISATUM.

R. Radicis Rhei palmati pulveratae sescunciam
Subcarbonatis Potassae sesquidrachmam,
Aquae communis fervidae libram.

Maceratis in vase clauso per duodecim horas admisceto colaturæ unciarum decem expressæ:

Alcoholis diluti unciam.

Serva usui.

Dos. A drachma ad semunciam, et ultra bis de die.

INFUSUM RADICIS VALERIANÆ SYLVESTRIS.

R. Radicis Valerianae sylv. incisae unciam,
Infunde aquae bullientis libram.

Stent per horam in vase clauso, et cola.

Interdum adduntur:

Aetheris sulphurici alcoholisati drachmae duae, vel *Tincturae aromaticae*, vel *Tincturae A. Calami semuncia.*

Dos. Unciæ duæ, plus vel minus, pro re nata.

Eodem modo parantur:

Infusum A. Absynthii. Infusum Baccarum Juniperi communis. Infusum C: Armoraciae. Infusum Florum M. Cha-

MOMILLAE. INFUSUM FLORUM SAMBUCI NIGRAE. INFUSUM HERBAE SALVIAE OFF. INFUSUM HERBAE MENTHAE CRISPAE. INFUSUM RADICIS ANGELICAE A. INFUSUM RADICIS A. CALAMI. INFUSUM SUMMITATUM JUNIPERI SABINAE. INFUSUM SEMINUM SINAPEOS.

INFUSUM SPECIERUM AROMATICARUM PRO FOMENTO.

R. Specierum aromaticarum uncias quatuor,
Aquae ferventis libras quatuor.

Macera per horam, dein vase clauso per aliquot minuta coque, et cola.

Interdum recte addes singulis aquæ libris,

Muriatis Ammoniae drachmam,
Acidi acetici impuri uncias duas, vel
Alcohol's diluti selibram.

Coctæ herbæ USUM, vide sub *cataplasmate discutiente.*

LIMATURA FERRI PURIFICATA.

Очищенные желѣзные опилки.

Imposito limaturæ cribro, admoveatur Magnes, ut trans cribrum limatura sursum adtrahatur.

V. Us. et Dos. videsis: Ferrum selectum.

Praep. *Rubigo ferri praep. — Tinct. Mur. ferri alcohol. — Sulphas ferri.*

LINIMENTUM ACETATIS CUPRI.

Mel cupratum. Acetas Cupri mellitus. Oxymel aeruginis. Unguentum aegyptiacum.

R. Acetatis Cupri unciam,
Mellis despumati, libram.

In mortario vitreo terendo misceantur.

Us. Vel adhibetur per se, aut dilutum aqua, vel etiam, si ita visum fuerit, excipitur unguento resinoso, et tum ulceribus scrofulosis, aliisve refractariolis, imo etiam syphiliticis, palati, fauciumque admovetur, magna cura cavendo, ne devoretur.

LINIMENTUM ACIDUM, vel MURIATICUM.

R. Mellis despumati unciam,
Acidi muriatici concentrati guttulas viginti.
Misce.

Us. Ulceribus faucium putescentibus, scarlatinæ anginosæ, vel atonicæ, penicillo admotum, et id genus aliis, prodest.

LINIMENTUM ALBUMINIS OVI.

R. Albuminis ovi recentis,
Alcoholis, vel
. . . . diluti camphorati, vel
Balsami Myroxili Peruiferi pares portiones.

Conquassando misce.

Us. Excoriationibus a decubitu, et id genus aliis, adminiculatur.

LINIMENTUM AMMONIATUM.

Linimentum volatile.

R. Olei Oleae Europeae, vel aliûs congrui partes tres,
Ammoniae liquidae partem. Misce.

V. Excitans.

Us. Rheumatalgiæ, doloribus spasticis, vel aliis, (ab inflammatione internarum partium) stipatæ, anginæ, etc. conducit.

LINIMENTUM AMMONIATO-TEREBINTHINATUM.

R. Olei Oleae Europeae partes quatuor,
. . . . destillati Pini Laricis,
Aquae fontanae,
Ammoniae liquidae, singulorum partem. Misce.

V. Egregie stimulans.

Us. Paralysi, rheumatalgiæ, myodyniæ, arthrodyniæ, doloribus spasmodicis, idoneum.

Interdum additur præcedenti miscelæ:

Solutionis Saponis aequa portio, et Tincturae Lyttae vesicatoriae, partes duae.—

LINIMENTUM CALCAREUM.

Linimentum aquae calcis.

R. Olei Lini usitatissimi recentis,
Aquae Calcis, utriusque pares portiones.
Misce conquassando.

Us. Excoriationibus, adustis etc. conducibile.

LINIMENTUM CAMPHORATO-AMMONIATUM.

R. Camphorae, (ope Alcoholis in pulverem redactae) partes sex,
Adipis Suis Scrofae praeparatae, partes duodecim,
Ammoniae liquidae partem. Misce.

V. Excitans, antiseptica.

Us. In nevroblacia, ut in paralysi, impotentia virili, ulceribus atonicis, scorbuticis, phagedænicis, pernione, et id genus aliis, debilitatem indicantibus, in eo auxilium est.

LINIMENTUM RESINOSO-TEREBINTHINATUM.

R. Unguenti resinosi,
Olei destillati Pini Laricis,
utriusque partes aequales.

Oleum paulatim misce cum unguento liquefacto.

V. Excitans, antiseptica.

Us. Ulceribus putescentibus, gangrænosis, et quæ cacoëthe vocant, auxiliatur.

LINIMENTUM SIMPLEX.

Ceratum.

R. Olei Oleae europeae, vel alterius congrui, partes quatuor,
Cerae flavae partem,
Colliquefiant in linimentum.

LINIMENTUM SULPHURICO TEREBINTHINATUM.

R. Olei destillati Pini Laricis uncias duas,
.... Oleae europeae uncias quinque,
Acidi sulphurici sesquidrachmam. Misceantur.

Us. Contusura, distorsio, adusta, erythema ex morsiunculis insectorum, ecchymoma, præcipue perniones.

Rejecto Acido sulphurico, ad ventrem fricandum, bis die, hydropisis; ischuria.

LINIMENTUM SUPER ACETATIS PLUMBI COMPOSITUM.

R. Unguenti Acetatis Plumbi,
Solutionis Muriatis Hydrargyri oxydati et Ammoniae, utriusque pares portiones.

Probe misceantur.

Us. Herpes, ichtyotosis, psoriasis, tinea et id genus alia.

MAGNESIA.

Magnesia pura Ph. Ross.

Магнезія пересженая.

R. Subcarbonatis Magnesiae quantum lubet.

In crucibulo tecto igne fortiori per horam urito, quod superest, vasis vitreis, probe obturatis, usui servetur.

V. Antacida, absorbens.

Us. Pyrosis, et morbi ex acido primarium viarum, alvus coacta ex eadem causa.

Dos. A granis decem, ad drachmam.

MEL DESPUMATUM.

Mel in balneo aquoso liqua, et spuma ablata, serva.

MEL DESPUMATUM INSPISSATUM.

R. Mellis crudi quantum vis,
Aquae communis quantum satis.

Coquatur, et despumetur, ut colatura facta fiat massa homogenea ad extracti consistentiam.

Misturis, decocturis, infusionibus additur.

Praep. *Lin. acetat. Cupri cryst.* — *Lin. acidum.*—*Oxymel simplex.*—*Oxymel scillinum.*

MISTURA CAMPHORÆ.

Fit eodem modo, quo acetum ejusdem; hac tamen sub distinctione, quod loco Acidi acetici diluti impuri adhibeatur aqua quælibet aromatica, vel mucilago gummi Mimosæ niloticæ; non est tamen ita conservabilis mistura, ut acetum camphoratum.

MISTURA CARBONATIS CALCIS COMPOSITA.

R. Carbonatis Calcis praeparati,
Gummi mimosae niloticae pulverati,
Sacchari puri, singulorum drachmas duas.

Tere simul, dein sensim adde:

Vini C. Ipecacuanhae sesquidrachmam,
Tincturae Opii drachmam,
. . . . aromaticae sescunciam,
Aquae fontanae, vel
Menthae crispae, uncias octo. Misce.

V. Antacida, peptica, adstringens.

Us. Cardialgia, diarrhœa, dysenteria.

Dos. Uncia ad duas, ter de die pro re nata.

MISTURA CINCHONÆ OFFICINALIS.

R. Corticis Cinchonae off pulverati unciam,
Extracti Glycyrrhizae gl drachmam vel
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae
uncias duas,
Aquae fontis libram,
Tincturae Cinchonae off. unciam, vel
.... aromaticae semunciam.

Quibus, si opus,
Acidi sulphurici diluti drachmas duas,
addito.

Ante singula præbia conquassetur phiala.

MISTURA GUMMI-RESINÆ F. AMMON COMPOSITA.

R. Gummi-resinae F. Ammon drachmas duas,
Solve in aquae Menthae crispae, vel
..... A. Foeniculi, vel
..... fontanae unciis septem, et adde:
Tincturae aromaticae drachmas duas,
Oxymellis scillini unciam. Misce.

V. Stimulans, attenuans, pituitam, lotium, et sudorem movens.

Us. Dyspnœa, peripneumonia asthenica, hydrops, morbi pulmonum pituitosi, obstructiones viscerum.

Dos. Uncia, vel sescuncia, tertia, vel quarta quaque hora.

Singulis dosibus interdum adduntur:

Subcarbonatis Ammoniae, vel *Subcarbonatis Potassae grana duodecim*, vel *Tincturae Opii camphoratae semidrachma ad duas drachmas.*

Si gummi-resinae F. Ammon drachmæ duæ in aquæ fontanæ, vel aquæ Menthæ crispæ, vel aquæ A. Fœniculi, unciis septem sunt solutæ, Lac ejusdem, sic dictum, habebis.

MISTURA vel SOLUTIO GUMMI-RESINÆ F. ASÆ FOETIDÆ.

R. Gummi resinae F. Asae foetidae drachmas duas,
Solve in Aquae fontanae vel
...... Menthae crispae, vel
..... A Foeniculi unciis octo.

V. Stimulans, antispasmodica, pituitam, et catamenia sollicitans, anthelminthica.

Us. Pertussis, dyspepsia, amenorrhœa, chlorosis, dyspnœa, hysteria, tympanitis, vermes.

Dos. Uncia, vel duæ, bis, terve de die.

Si misturæ supra dictæ addas:
Acetatis ammoniae liquidi uncias quatuor,
Tincturae Digitalis purpureae,
.... *Aromaticae utriusque semunciam*,
egregiam miscelam, asthmati, hydropisi, phthisi pituitosæ, hæmoptysi adcommodam obtinebis; attestante Excellentissimo Rogers, magni nominis clinico.

MISTURA GUMMI-RESINÆ MYRRHÆ FERRATA.

R. Pulveris gummi resinae Myrrhae drachmam,
Carbonatis Ferri praecipitati semidrachmam,
Syrupi A. Zingiberis semunciam:

simul tere, et adde:

Aquae Menthae piperitae selibram,
Tincturae Cinchonae compositae semunciam.
Misce.

V. Stimulans, tonica, peptica.

Us. Cachexia, phthisis, cacochymia.

Dos. Sescuncia, bis terve de die.

Vices superioris supplet.

R. Tincturae Muriatis ferri uncias duas,
.... aromaticae semunciam. Misce.

Dos. Drachma ter de die, ex vasculo infusi M. Chamomillae.

MISTURA NITRATIS POTASSÆ.

Mistura nitrosa.

R. Nitratis Potassae drachmam,
Aquae Menthae piperitae, vel
..... fontinalis uncias tres,
solve, et adde:
Acidi acetici impuri sescunciam.

Dos. Uncia, tertia, vel quarta quavis hora. Interdum singulis dosibus adduntur: *Tincturae Opii guttae quinque*, ad quintam, vel sextam vicem, intercapedine nychthemeri.

MISTURA SCILLINA.

R. Aquae Menthae piperitae uncias quatuor,
Syrupi scillae maritimae, vel
Oxymellis ejusdem, uncias duas. Misce.

Cui interdum additur:

Tincturae Opii camphoratae uncia.

Dos. Semuncia ad unciam quater de die.

MISTURA SUB-CARBONATIS MAGNESIÆ.

R. Subcarbonatis Magnesiae drachmam,
Aquae fontanae vel
. . . . . Menthae crispae selibram,
Tincturae aromaticae drachmas duas,
Ammoniae liquidae drachmam.

Us. Cardialgia.

Dos. Uncia ad duas, pro re nata, vel sumto cibo, si cardialgia urget.

MISTURA SUB CARBONATIS POTASSÆ.

Olim *Mistura Riverii.*

R. Subcarbonatis Potassae drachmam,
Succi fructus Citri medicae, vel
Acidi acetici impuri sescunciam.

Peracta effervescentia adde:

Aquae Menthae piperitae uncias quatuor.

Dos. Cochlear, secunda quaque horâ.

MURIAS BARYTÆ.

Baryta muriatica Ph. Edinb. Terra ponderosa muriatica Bergmanni.

Земля тяжелошпатная.

R. Sulphatis Barytae bilibram,
Carbonis ligni in pulverem triti uncias quatuor.

Sulphas torreatur igne, quo facilius in pulverem tenuissimum teri queat, cui pulvis carbonis admiscendus. Materia dein crucibulo immittatur, atque operculo adaptato, fortiori igne, per sex horas, urgeatur. Materia probe trita, immittatur aquæ bullientis libris sex in vitreo vase, vel figulino, et permisceatur agitatione, aëris aditu, quantum fieri potest, occluso.

Vas in balneo vaporis stet, donec pars non soluta subsederit; dein liquor effundatur. Adfundantur illi denuo aquæ bullientis libræ quatuor, quæ post agitationem, ac subsidentiam, liquori priori addantur. Liquori adhuc calido, vel si friguerit iterum calefacto, instilletur acidum muriaticum donec moverit effervescentiam; dein coletur, ac vaporet, ut crystalli formentur.

V. Valde, citra calorem stimulans, sudorem, lotium movens, anthelminthica.

Us. Scrofula, malaque e scrufuloso habitu orta Hufland. Iis tamen qui mobili nervorum systemate præditi sunt, alienus. In scirrho quoque, glandularum mesaraicarum infarctu, et atrophia ex eadem causa, uti etiam adversus tubercula pulmonum, asthma, herpetem, tineam, vermes, laudatur.

Dos. Videsis: Solutionem Muriatis barytæ.

MURIAS CALCIS OXYGENATUS.

Calcaria muriatica Ph. Bor. Calx muriatica Bergmanni. Sal ammoniacus fixus.

R. Calcis quantum lubet,
Acidi muriatici concentrati, quantum sufficit ad perfectam solutionem. Filtra si vis, et ad siccitatem evapora.

V. Deobstruens, lotium ciens.

Us. Scrofula, aliive lymphæ morbi.

Dos. Semidrachma ad drachmam in libra aquæ quotidie — vel videsis: Solutionem Muriatis calcis.

Praep. *Aq. marin. artefact. — Vapor. Muriat. Calc. Oxygenati.*

MURIAS HYDRARGYRI OXYDATUS.

Murias Hydrargyri Ph. Edin. Mercurius corrosivus sublimatus. Сулема.

R. Hydrargyri purificati bilibram,
Acidi sulphurici tantundem cum semisse,
Muriatis Sodae exsiccati libras quatuor.

Hydrargyrum cum sulphurico acido in vitreo vase super arenam coquatur, donec materia fuerit sicca. Hanc frigefactam, vitreo vase cum Muriate Sodæ commisceto, dein sublimato in vitrea cucurbita, igne gradatim auctiori; tandem sublimata materia a scoriis separanda est.

Qual. Venenata, corrosiva.

V. Caustica, validissime resolvens, antizymica, sialagoga, antisyphilitica.

Us. In lue venerea inveterata, morbisque cutaneis, mercurialibus ceteris merito præfertur. Obortis interdum sub usu ejusdem doloribus colicis, alvi profluviis, ardore, spasmisque ventriculi, commode succuritur adjecto volatili stimulo, aromaticis aquis, si præsto sunt, cortice Lauri Cassiæ, Citri Aurantii, Opio, et Camphora.

Quum hoc remedium vi nimis corrosiva polleat, magna cura cavendum est,

ne, loco quæsitæ salutis æger præcipitetur. Noxa præpostero tali consilio illata, celebratissimum, aptissimumque huic veneno antidotum est subcarbonas Potassæ in aqua solutus, adjecto olivi pauxillo, Hydro-sulphuretum Potassæ, vel Sodæ, cortex Cinchonæ off., et Quercus R. aquæ incoctus, sapo, et generatim demulcentes potiones, decocta demulcentia, emulsiones, lac etc. juvant. Scire quoque licet hujus remedii usum imbecillis hominibus, sensibilibus, phthisiscentibus, hæmoptoicis, aut hæmorrhagiis, scorbuto, rachitidi, atrophiæ, marasmo senili obnoxiis, alienum esse.

Dos. Sub forma pulveris nunquam præscribitur; aptissime vero per pilularum modum cum mica panis, vel melius cum radice Althææ off., Amylo, gummi Mimosæ niloticæ, vel Syrupo, aut extracto quovislibet. Melle quoque pro conficiendis pilulis apte excipitur, addito quovis ad easdem involvendas pulvere; solvitur etiam in aqua destillata, aut alcohole diluto servata hac proportione, ut quodlibet granum ad minimum duas vehiculi uncias habeat, solutioque, vel saccharo, vel

Melle edulcoretur, vel mucilagine gummi Mimosæ niloticæ temperetur. Hujus solutionis cochlear, vel duo, bis in diem propinantur. *Extrinsecus*: Solutio per modum lotionis, vel injectionis, vel gargarizationis adhibetur, quo in casu in primis sub initium apta est solutio facta grano Muriatis Hydrargyri oxydati pro aquæ, vel alterius vehiculi selibra, cui uncia mucilaginis gummi Mimosæ niloticæ, recte additur.

In curatione scabiei refractariolæ, fortiori, pro re nata solutioni Murias Ammoniæ utiliter adjungitur. Frictiones, sub unguenti forma esse admovendas, CYRILLUS, magni nominis vir, est auctor. Unguentum quod ad eum refertur, habet drachmam Muriatis Hydrargyri oxydati, cum adipis Suis Scrofæ uncia per duodecim horas jugiter contritam; admovetur fricatio sub planta pedum ejusdem suasu, dimidio drachmæ, qualibet vice insumto; ast melius erit idem præstari in interiori femorum, crurum, brachiorumque parte.

PRAEP. *Murias hydrargyri oxydulatus praeparatus. — Clyst. aloëticus. — Garg. mur. hydr. oxydati. — Sol. mur. hydr. oxydati. — Sol. mur.*

hydr. oxydati corrodens. — Sol mur. hydr. oxyd. et ammon. — Ung. Tartr. Stibii et Potassae.

MURIAS HYDRARGYRI OXYDULATUS PRÆPARATUS.

Sub-Murias Hydrargyri Ph. Edin. Calomelas, Hydrargyrus muriatus mitis. Ph. Lond. Hydrargyrum muriaticum mite Ph. B. Mercurius dulcis Ph. R. Ртуть сладкая.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati partes quatuor.

In mortario vitreo, aut lapideo cautim tere, alcoholis aliquot guttulas interdum adspergendo; dein adde:

Hydrargyri depurati partes tres.

Misce terendo, donec globuli hydrargyri perfecte disparuerint, dein pulvis in cucurbitam vitream oblongam, cujus tertiam duntaxat partem impleat, inditus, ex arena sublimetur calida.

Massa sublimata teratur, et denuo sublimetur, tandem in pulverem tenuissimum redigenda, aqua destillata fervente lavandum, et pro usu medico siccandum.

V. Resolvens, sialagoga, anthelminthica, antisyphilitica, cathartica.

Us. Febres intermittentes refractariolæ, in primis quartanæ in connubio oxydi

stibii hydrosulphurati, SELLE, vel oxydi stibii præparati, LENTIN, aut Valerianæ, Cinchonæ officinalis. Typhus auctiori irritabilitate; sed impotentia reagendi REIL, vel diathesi inflammatoria STOLL, VOGEL, stipatus. Febres inflammatoriæ malignæ, HAMILTON, MURRAY, LIND CLARKE, aliique Britanni, quorum vestigiis HILDEBRANDT, REIL, SCHRAUD etc. non dubitarunt insistere. Encephalitis idiopathica, VOGEL. Haud neglectis detractionibus sanguinis, fomentis etc. Ophthalmia rheumatica, scrofulosa, syphilitica, WARNER, RICHTER. Angina, et in primis membranacea, auctoritate præsertim Britannorum, et Americanorum medicorum. RUYSCH eandem pro specifico habet refragantibus aliis; Scarlatina, MICHAËLIS, RUYSCH, BAILEY, Pneumonia, HAMILTON. Hepatitis, CLARKE, MURRAY, LIND, CHISHOLM, CRAWFORD, SAUNDERS, MACLEAN. Metritis, HAMILTON. Variolæ, LETTSOM, INGENHOUS, HUFLAND, REIL, DIMSDALE. Rheumatalgia chronica, SIMS, FOTHERGILL, CULLEN. Dysenteria, PAISLY, WILSON, PRINGLE, BOAG, CLEGHORN. Helminthiasis, RUSH,

ANDRY etc. Icterus a hepatemphraxi, febris americana flava, RUSH, CLARKE etc. in primis CHISHOLM; syphilis, scrofulæ LETTSOM, HUFLAND, ROWLEY, FOTHERGILL etc. chronica exanthemata, carcinoma, præsertim scrofulosæ indolis, BIERCHEE, GATACKER; hydropisis et in primis hydrocephalus, DOBSON, PERCIVALL, WITHERING. Hydrophobia, WERLHOFF. Trismus, MONRO. Ischuria spasmodica, PERCIVAL, GILCHRIST; pro antidoto plumbi habetur a CLUTTERBUCK.

Extrinsecus quoque, forma pulveris, ulceribus syphiliticis apte admovetur. — Admota gingivis leni frictione etc., et internæ superficiei oris in syphilitide, aut ulceribus scrofulosis, vel venereis labrorum nasique, adjecto quantum opus, melle. — Oculo inflatus pulvis, corneæ maculas tollere fertur. Denique ad suffimenta, linimenta, unguenta, præsertim in psora, herpetibus, lue venerea, tinea. In cretinismo (morbo inter juga montium helveticorum endemio) cum primis in connubio Oxydi stibii hydrosulphurati, non ineptus.

Dos. Sub diversis *interne* præscribitur formis, opportunior ceteris est pilularum, aut bolorum, cum extracto, aut conserva. Quum in pulvere datur, recte conjungitur cum saccharo, pulvere Glycyrrhizæ glabræ, Magnesia, vel pro re nata Opio, Camphora, salivationis averruncandæ causa, vel Cinchona, oxydo stibii hydrosulphurato, vel ubi alvum medicamento sollicitare expedit; catharticis aut radice C. Jalapæ etc.

Pueris, ut catharticum, et anthelminthicum a grano ad sex, habita ætatis ratione; adultis, a quinque ad quindecim pro una vice, communius aliis conjungitur, at, præsertim catharticis; ut antivenereum ab $\frac{1}{4}$ ad tria grana, debilibus vero, et pueris ab $\frac{1}{8}$ incipiendo, dosin pro re nata augendo.

Praep. *Pil. cathartico-diureticae. — Pil. mur. hydr. oxydul. et camph. — Pil. mur. hydr. oxydul. et oxyd. stib. hydrosulphurati. — Pil. Scillin. et mur. hydr. oxydulat. — Pulv. C. Jalap. et mur. hydr. oxydul. — Pulv. Rhei et mur. hydr. oxydul.*

MURIAS MAGNESIÆ.

R. Subcarbonatis Magnesiae quantum vis,
Acidi muriatici concentrati quantum satis ad plenam saturationem.

Filtra, et ad siccitatem evaporet, vasisque bene clausis, ne deliquescat, servetur.

Praep. *Aqua marina artefacta.*

MURIAS POTASSÆ OXYGENATUS.

R. Subcarbonatis Potassae quantum vis,
Acidi muriatici oxygenati quantum satis ad perfectam saturationem.

Solutio filtretur, et ad punctum crystallisationis, lenissimo calore vaporet, in loco frigido, ut in crystallos coëat seponenda, quæ dein vasis rite obturandis servandæ sunt.

V. Oxygenans, systema arteriosum incitans.

Us. Morbi asthenici, malus corporis habitus, scorbutus, morbi cutis: ut psora, herpes etc. syphilis, hepatemphraxis etc.

Dos. A granis quindecim ad semidrachmam de die.

Praep. *Solutio ejusdem.—Potio oxygenata.*

NITRAS ARGENTI FUSUS.

Lapis infernalis Ph. Ross. Сереброселитряный прижигательный камень.

R. Argenti purissimi in laminas extensi . et conscissi uncias quatuor ,
Acidi nitrici uncias octo ,
Aquae destillatae uncias quatuor.

Argentum solvatur in phiala leni calore, solutio vaporet ad siccitatem. Dein massa capaciori crucibulo commissa, super ignem ponatur, quo sensim sensimque auctiori, ad instar olei fluet, in ferreas calentesque fistulas, sebo inunctas effundenda, atque vasis probe clausis condenda.

V. Acris, corrodens, antiepileptica.

Us. Per se: hypersarcosis, ulcera callosa, fungosa, indolentes atonicique tumores; nævi materni. Si aqua diluatur, forma gargarizationis, vel injectionis recte admovetur, præsertim ulceribus oris, et faucium ex hydrargyro, cynanche putescenti ulcerosæ, caute adhibitus fistulis; imo in blennorrhœa quoque asthenica valens. — *Interne* etiam adhibetur in epilepsia, helminthiasi; angina pectoris i. e. syncope anginosa, in qua postrema; nec fonticuli internis femoribus aptandi, neglectui habeantur.

Dos. Drachma in aquæ destillatæ libra, soluta, in lacrymali fistula, aliisque ulceribus fistulosis, forma injectionis, adhiberi potest; — dosis in genere grani unius ad quinquaginta aquæ grana. Dum interné datur, nonnisi ab octava grani parte initium fiat, gradatim, cauteque ad granum ascendendo, idque in forma pilularum cum mica panis, ter de die.

Cl. Wilson grana duo cum semisse, non dubitavit administrare. Citra ullum incommodum, si levem excipias nauseam, medicina ab ægris sumta est.

Praep. *Pil. Nitr. Arg. fusi* — *Solutio Nitr. Arg. fusi.*

NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUS.

R. Hydrargyri purificati quantum vis,
Acidi nitrici quantum satis, ut Hydrargyrus solvatur.

Us. Præparata, ut *Oxyd. hydrarg. rubrum per acid. nitricum.*

NITRAS POTASSÆ.

Kali nitratum Ph. Lond. Kali nitricum Ph. B. Nitrum depuratum Ph. Ross. — Очищенная селитра.

R. Nitri vulgo venalis quantum velis, dissolve in sextuplo aquae, filtra, et evapora, donec guttae frigido lapidi inspersae, coagulentur. Dein vero, loco temperato, ut crystalli formentur reponito. Residuus liquor paulisper evaporet, itidem in crystallos cogendus. Haec operatio repetatur eousque, donec purae, prismaticaeque nitratis potassae crystalli deponantur.

V. Debilitans, sedativo-refrigerans, lotium, alvumque subinde movens.

Us. Febres sthenicæ, in primis inflammatoriæ, pleuritis, cum sero lactis, potionibus mucilaginosis, emulsione amygdalina. Gastritidi, nephritidi, enteritidi, hepatitidi, vomitionibus stipatis, ob sensibilitatem affectarum partium, vix, ac nevix quidem convenit.

Exanthematicis inflammatoriis, caute adhibitus, est opportunum remedium. Adversus rheumatalgiam (Selle, Brocklesby) utilis esse creditur. — Febribus catarrhalibus, sthenicis, in congruorum connubio non est alienus, Moneta. Activis hæmorrhagiis, sanguinis orgasmum inhibendo, occurrit, Dickson; adversus eas-

dem pro specifico habuit Dickinson. Scorbuto utilem esse Beddoës, Patterson, opinatur.

Extrinsecus: per modum fomenti, gargarizationis, clysteris, admovetur; præsertim in aptis solutus vehiculis: Fomento, acetum cum muriate sodæ, vel murias ammoniæ in vulneribus capitis; clysteri murias sodæ, acetum, oxymel, etc. gargarismo, mel rosaceum, murias ammoniæ etc. recte adjicitur.

Dos. *Interne*: grana decem ad scrupulum. Sæpius in aqua solutus, decoctione, aut aliqua mistura, et aliquando in pulvere, et haud raro cum aliis remediorum adminiculis. — Haud dubitarunt quidam semunciam, imo unciam ejusdem pro dosi præscribere; ast hæc exempla non sunt digna imitatione; experiundo enim didicimus, dosi nimia digestionis opus turbari, cardialgiam, oppressionem pectoris, vomitiones, alvi profluvia, convulsiones, suboriri. Eadem incommoda ex nitrate potassæ, aut longiori tempore suscepto, aut debilibus administrato oriri posse quidam scite observarunt.

Praep. *Acid. nitrico-nitros. — Mist. Ni-*

trat. potass.—Pulv. ejusd. comp.—Sol. acid. nitr. vaporif. — Sol. acid. arsenicos. et nitrat. potass.— Succus V. Oxycocc. c. nitr. potass.

OLEA DESTILLATA.

Olim. *Olea volatilia, vel Stillatitia, vel Essentialia.*

HERBAE MENTHAE PIPERITAE FLORENTIS, HERBAE JUNIPERI SABINAE, SEMINUM P. ANISI, BACCARUM JUNIPERI COMMUNIS, FRUCTUS MYRTI PIMENTAE.

Eadem fiunt ratione, ut stillatitiæ aquæ; hic tamen aqua parcius adjecta.

Semina atque lignosa, in primis contundi, radique oportebit. Oleum elicitur cum aqua, ac pro ratione levitatis, vel gravitatis suæ, aut prout superficiei hujus innatarit, aut fundum petierit, dein separandum.

PRAEP. *Elaeosacchara.*

OLEUM DESTILLATUM SUCCINI RECTIFICATUM, ET ACIDUM SUCCINICUM.

Янтарное масло.

R. Succini rudius contusi quantum lubet, fiat e vitrea retorta, ad quartam tantum partem repleta, destillatio calore primum leniori; dein vero successive auctiori. Cum oleo primum flavo, dein rubro prodibunt liquor acidulus, et acidum concretum, quibus aquae calidae, sufficiens quantitas ad acidum solvendum addatur. Liquor acidus ab oleo separandus evaporet leniter, dein filtretur, et ad crystallisandum reponatur. Crystalli depurentur solutione in calida aqua, solutione, et crystallisatione repetita. Oleum a liquore acidulo separatum, e vitrea retorta sextuplo addito aquae, distillet, donec duo trientes aquae in excipulum transiverint. Tandem oleum hocce volatile ab aqua separatur, vasis probe clausis usui servandum.

V. Olei: stimulans, antispasmodica, menagoga.

Us. Malum hystericum, amenorrhœa, dysmenorrhœa, chlorosis; interdum exdtrinsecus in connubio linimentorum adversus paralysin, rheumatalgiam commendatur.

Praep. *Resina Succini balsamica* — *Pil. Asae foetidae.*

OXY-CARBONAS ZINCI IMPURI PRÆPARATUS.

Lapis calaminaris praeparatus.

Oxycarbonas Zinci impurus ab illis, qui Orychalco conficiendo operam navant, torrefactus, ut Carbonas Calcis præparatur.

Praep. *Ceratum Oxycarb. Zinci impuri praeparati.*

OXYDUM FERRI NIGRUM PURIFICATUM.

Ferri Squamae purificatae.

Ferri Oxydi nigri Squamæ, ad fabrorum incudes reperiundæ, Magnete admoto purificantur; Magnes enim squamas tenuiores, puriores tantum attrahit, relictis crassioribus, minus puris.

V. Us. et Dos. eadem, ut Ferri.

Praep. *Tinct. mur. ferri alcoholisata.*

OXYDUM HYDRARGYRI RUBRUM PER ACIDUM NITRICUM.

Oxydum hydrargyri rubrum; Hydrargyrum oxydatum rubrum Ph. B. Mercurius praecipitatus ruber Ph. Ross. Ртуть красная осадочная.

R. Nitratis hydrargyri liquidi, quantum velis.

Coque in vitreo vase ad siccitatem.

Massam in pulverem tenuatam, calori moderato expone, continuo vitrea movendo spathula, usque dum fugato acido, colorem læte rubrum, et splendentem, præ se tulerit.

Usibus tantum externis inservit, nec communius adhibetur, nisi sub unguenti forma. — Aptissimum est, quod ad TITTMANNUM refertur, ex drachma ejusdem, et insulsi butyri semuncia, adjecto, consistentiæ ergo, ceræ tantillo. Cum sufficienti quantitate adipis commistum, ulcera venerea efficaciter curat; escharoticum quoque in ulceribus supercrescentibus, callosis, aut fungosis non spernendum præbet in pulvere.

PRAEP. *Pulv. Supersulphat. Alum. et Potassae.*

OXYDUM STIBII cum SUB-PHOSPHATE CALCIS.

Phosphas calcis stibiatus SWEDIAUR. *Pulvis antimonialis Ph. Lond.*

R. Sulphureti stibii nigri praeparati, in grossiusculum pulverem redacti,
Cornu Cervi E. rasi, utriusque pares portiones.

Misce, atque ollæ ferreæ latæ injicito, ad rubedinem calefactæ, ac assiduo agita,

donec colore cinereo fuerint. Ubi materia refrigeraverit in pulverem teratur, ac loricato immittatur crucibulo. Huic crucibulum aliud inversum, cui parvum sit foramen in fundo, conjunge luto, ignemque subministra, ad rubedinem sensim auctiorem, et ita auctum serva per duas horas; tandem frigefactam massam in subtilissimum pulverem tere.

V. Stimulans, sudifica.

Us. Febres ex perfrictione, asthenicæ (ad crisin in primis promovendam) typhus mitior, remittens, dysenteria subductis prius sordibus.

Dos. Grana quinque ad octo, semel, vel pro re nata etiam bis in die; major vero dosis, vel emesin, vel alvum ciet; persæpe in connubio Muriatis Hydrargyri oxydulati, et Camphoræ datur. Si paulum supertartratis potassæ adjectum fuerit, tum vis ejusdem, et cathartica, et vomica efficacius emicat; sudifica autem additione Subcarbonatis Ammoniae, Camphoræ, Opii. etc.

OXYDUM STIBII HYDRO-SULPHURATUM PRÆCIPITATUM.

Sulphur stibiatum aurantiacum Ph. Bor. Sulphur stibiatum rufum Ph. Dublin. Hydrosulphuretum oxydi Stibii aurantiacum. Sulphur auratum antimonii Ph. Ross. Сѣра желтосюрмяная.

R. Sulphureti stibii nigri praeparati partes duas,
Sulphuris sublimati partes tres,
Solutionis potassae, quantum ad solvendum requiritur.

Mista in lebete ferreo coque, continuo spathula movendo, ut fiat solutio perfecta; dein liquori aqua fervida diluto, et colato per chartam, instilla paulatim:

Acidi sulphurici diluti quantum ad praecipitandum sufficit;

caute tamen, ne nimia copia acidi admisceatur. Præcipitatum aqua tepefacta perfecte abluatur, calore lenissimo siccetur, atque in clauso vase usui servetur.

V. Resolvens, sudifica, diuretica, majori dosi, emetica.

Us. In chronicis cutaneis morbis, ut psora, herpetibus, tinea, plica polonica, scrofulosis tumoribus, (corpore nondum debilitato) in rheumaticis, arthriticis, itidem chronicis commendabatur. — In morbis pectoris chronicis, in asthmate pituitoso,

catarrho, in pneumonia notha, tussi catarrhali etc. præmissis antiphlogisticis, præsertim in connubio radicis Polygalæ Senegæ, Camphoræ, Opii, Sacchari, vel Glycyrrhizæ.

Dos. A $\frac{1}{4}$ parte grani, ad integrum, duo, datur. Præsertim, cum Camphora, gummi Mimosæ niloticæ, oxymelle scillino, sapone, muriate ammoniæ, mercurialibus, gummi-resina Guajaci off. etc. In pilulis aptissime datur. In pulvere cum Magnesia, et saccharo. — Misturis vero solutionibusque non convenit.

Praep. *Pil. Guajac. comp.* — *Pil. Mur. hydr. oxydul. et Oxyd. stib. hydrosulph.*

OXYDUM STIBII SULPHURATUM.

Сюрмянное стекло. *Vitrum antimonii.*

Sulphuretum stibii nigrum præparatum, grosso modo, adinstar arenæ, pulveratum, super fictile vas non vitreatum, parum profundum, insterne, atque leni calore, ut sulphuretum Stibii gradatim calefieret, subdito; pulvis interea jugi motu, ne in grumos coëat, agitetur. Vapores albi, sulphur olentes, ex eo orti, ne deficiant, igne auctiori sustinendi sunt, eousque, do-

nec pulvis, igne tandem rubescens, nil amplius exhalet. Pulvis denique hicce, commissus crucibulo, calore intensiori liquefiat, donec adinstar liquefacti vitri, fluxerit, super æneam calentem laminam effundendus.

Us. Ad præparata. Videsis: *Tartratem Stibii et Potassae.*

OXYDUM ZINCI.

Цвѣты шпіаутерные. *Flores Zinci. Zincum calcinatum. Calx Zinci.*

Capacius crucibulum in furno prunis calefacto, ponatur sic, ut hujus ostium versus, parum inclinet, et quum fundus illius candefieri coeperit, portiuncula Zinci drachmam circiter pendens, injiciatur. Simulac Zincum, quod brevi fit, accensum fuerit, atque in albos floccos, mutatum, subinde a metalli superficie, ut combustio ejus absolvatur perfectius, ferrea spathula retrahendos; Oxydum Zinci cessante flamma, e crucibulo auferatur. Dein alia Zinci portio projiciatur, et operatio repetatur toties, quoties opus fuerit, tandem Oxydum Zinci, ut Subcarbonas Calcis, præparatur.

V. Tonica, antispasmodica.

Us. Epilepsia, morbique consimiles.

Dos. A grano ad octo; extus cum duplo Adipis Suis Scrofæ præparatæ commistum, trichiasi, et excoriationibus papillarum mammæ non ineptum.

Praep. *Ung. ophthalm. cuprat* — *Ung. oxy-nitr. hydr. et ammon.*

OXYMEL SCILLINUM.

R. Aceti scillitis partem,
Mellis optimi, partes duas. Misce, et serva.

Dos. A drachmis duabus, ad semunciam.

Praep. *Mist. F. ammon. comp.* — *Mist. scillina.*

OXYMEL SIMPLEX.

R. Acidi acetici impuri,
Mellis optimi, utriusque pares portiones.

Misce, et in vase figulino, vel vitreo, leni igne ad syrupi crassitudinem decoque.

Interne perraro solum præscribitur, sæpius misturis additum, vel potionibus a semuncia ad duas uncias. Aqua dilutum, gargarizationi, et antiphlogisticis colluto-riis servit; imo cum congrua acetatis cupri portione commistum, loco unguenti vulgo ægyptiaci dicti, adhibetur utiliter.

plumaceolis exceptum, videsis: Mel cupratum.

OXY-NITRAS HYDRARGYRI ET AMMONIÆ.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum Ph. Bor. Oxydum hydrargyri nigrum. Mercurius solubilis Hahnemanni Ph. Ross. Ртуть черноосадочная.

R. Hydrargyri depurati, quantum volueris.

Solve in sufficiente quantitate acidi nitrici (Aquæ fort. Ph. Ross.) lente, et successive. Phiala, in qua solutio perficitur, vasi amplo, aqua fluviali frigida, repleto, imponatur, et processus frigidiori semper loco, peragatur.

Hydrargyro soluto, crystallisque destillata aqua ablutis, iisque deinde solutis, et filtratis adde guttatim sæpius agitando:

Ammoniae liquidae quantitatem sufficientem ad hydrargyrum penitus ex acido praecipitandum.

Pulvis dein, fervefacta aqua, repetitis lavetur vicibus, atque sine omni calore exsiccetur.

V. Antisyphilitica, muriati oxydulato hydrargyri subpar; tardius tamen, ut quidam observant, salivam movens.

Us. Morbi syphilitici, cutaneique contagiosi, aliique adversus quos murias hydrargyri oxydulatus adhibetur. Sub usu remedii hujus, ea quæ esui potuique dantur, insulsa esse opportere, HAHNEMANNUS, ad quem hoc remedium refertur, contendit. — Poma ante usum remedii esse, ejusdem auctoris suasu, alienum est; infirmando enim ventriculum, vomitiones cient, alvumque resolvunt. Simulac æger utens hoc remedio, febrit, inalgescentibus extremis membrorum partibus, quatiente spinam frigido horrore, tumentibus gingivis, indicium est, salivatione instante usu medicinæ supersedendum esse, vel pauxillum Hydro-sulphureti potassæ, vel sodæ, in dilutioribus acidis propinandum.

Dos. $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ grani, singulis viginti quatuor horis, repetenda, augendo sensim sensimque ad duo, vel tria grana, si nullus salivationis metus subest. Opium aromaticaque recte adjiciuntur.

Extrinsecus: per modum unguenti, frictionis, herpetibus, psoræ, etc. admovetur, imo adversus varia oculorum vale-

tudinis genera idoneum esse perhibetur medicamen.

PRAEP. *Empl. ejusdem.* — *Oxynitr. hydr. et ammon. mellitus.* — *Pil. oxynitr. hydr. et ammon.* — *Unguent. ejusdem.* — *Idem comp.* — *Ung. Tartrat. stibii et potassae.*

OXY-NITRAS HYDRARGYRI ET AMMONIÆ MELLITUS.

R. Oxynitratis Hydrargyri et Ammoniae drachmas duas,
Mellis flavi unciam, terendo misce.

Ulceribus syphiliticis faucium internarum, penicilli ope admotus, utilis.

PILULÆ ALLII SATIVI.

R. Radicis Allii sativi,
Saponis oleosi, utriusque semunciam,
Pulveris Glycyrrhizae gl. quantum satis sit,

ut fiat massa, e cujus singulis drachmis formentur catapotia duodecim.

DOS. Scrupulum ad duo massæ.

PILULÆ ALOES ET ASÆ FOETIDÆ.

R. Gummi-resinae Aloës perfoliatae,
. . . . F. Asae foetidae,
Saponis oleosi, singulorum paria pondera.

Cum mucilagine gummi Mimosæ niloticæ subigantur in massam.

Us. imbecillo ventriculo, dyspepsiæ, inflationi, compressæ alvo etc. adcommodæ.

Dos. Grana decem ad scrupulum bis de die.

PILULÆ ALOES ET STALAGMITIDIS CAMBOGIOIDIS.

R. Massae pilularum aloëticarum debitae spissitudinis partes tres,
Gummi-resinae Stalagmitidis Cambogioidis partem. Misce.

Dos. Grana quinque.

PILULÆ ALOETICÆ.

R. Gummi-resinae Aloës perfoliatae in pulverem subtilissimum tritae,
Saponis oleosi, utriusque pares portiones.
Subige cum syrupo simplici, vel Mucilagine gummi Mimosae niloticae, ut fiat massa ad catapotia formanda apta.

Dos. Grana quinque ad scrupulum hora decubitus.

Interdum additur Myrrhæ tertia pars, et in alvo suppressa cum dolore, sesquigranum ad tria succi Hyosciami nigri inspissati, singulis dosibus, egregie prodest.

PILULÆ ASÆ FOETIDÆ COMPOSITÆ.

Pilulae gummi-resinosae.

R. Gummi-resinae F. Asae foetidae,
.... Myrrhae, vel
.... B. Galbani singulorum partes octo,
Olei empyreumatici succini partem.
Subige in massam cum syrupo simplici.

V. Antispasmodica, emmenagoga.

Dos. Grana decem ad scrupulos duos, hora decubitus, vel sæpius.

PILULÆ SUB-CARBONATIS SODÆ.

R. Subcarbonatis sodae exsiccatae semunciam,
Saponis oleosi drachmas tres,
Syrupi Zingiberis, vel
.... simplicis q. s. ut fiat massa in pilulas pond. granorum quinque dividenda.

Us. Lithiasis.

Dos. Duæ-tres-quatuor, ter de die.

PILULÆ CATHARTICO-DIURETICÆ.

R. Pulveris scillae maritimae grana sex,
.... C. Jalapae grana decem,
Muriatis Hydrargyri oxydulati grana quatuor,
Pulveris aromatici grana sex.

Cum syrupo Zingiberis fiant pilulæ quatuor granorum, una vice noctibus alternis, propinandæ, et pulvis supertartratis Potassæ et Stalagmitidis Cambogioidis quovis solutus idoneo liquido, mane insequenti exhibendus.

Granum Opii subinde additum, non erit alienum.

PILULÆ DIGITALIS PURPUREÆ.

R. Pulveris foliorum Digitalis purpureae scrupulum
Gummi-resinae F. Asae foetidae, (Alcoholis diluti ope ad aptam crassitudinem redactae), vel
Roob baccarum Juniperi communis, vel
Extracti amari quantum satis ut fiat massa in pilulas viginti aequales dividenda.

Dos. Pilula, bis terve in die.

PILULÆ GUAJACINÆ COMPOSITÆ.

R. Gummi-resinae Guajaci partes quatuor,
Camphorae partes duas,
Succi inspissati Aconiti neomont.
Oxydi Stibii hydrosulphurati praecipitati, utriusque partem.

Alcoholis, si opus, quantum satis, ut fiant pilulæ granorum quatuor pondere.

Dos. Pilulæ duæ.

PILULÆ HUMULI LUPULI.

R. Pulveris conorum Humuli L. scrupulos duos,
Micae panis et syrupi, vel
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae quantum satis, ut fiat massa in pilulas triginta aequales dividenda.

V. Opii vices explet.

Dos. Pilulæ binæ, vel ternæ, noctu, dormituro propinentur.

PILULÆ MURIATIS HYDRARGYRI OXYDATI.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati,
...... Ammoniae utriusque grana decem,
Aquae destillatae drachmam,
Pulveris radicis Glycyrrhizae gl., vel
Amyli scrupulos octo,
Mellis drachmam.

Cogantur in massam, in octaginta pilulas æquales dividendam.

Dos. Duæ ad quatuor bis terve de die. Sumto singulo pilularum præbio, mucilaginosa potui danda, vis Muriatis Hydrargyri oxydati, corrosivæ, obtundendæ ergo. Interdum adde massæ superius indicatæ: Opii scrupulum, et Tartratis Stibii et Potassæ grana octo, et tum doloribus osteocopis lenimen impertitur, in cutim vim medicamentosam exserendo.

PILULÆ MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI ET CAMPHORÆ.

R. Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati grana sex,
Camphorae grana viginti quatuor,
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae, quantum satis, ut fiat massa in pilulas duodecim aequales dividenda.

Dos. Pilula, duæ.

Quandoque duodecim Opii grana, aut

succci spissati Aconiti neom. tantumdem, aut extracti Conii m. grana octodecim, vel extracti Hyosciami nig. tantumdem præcedenti massæ, pro rei necessitate addi possunt, et tunc duæ, tresve pilulæ sumuntur.

Præter effectus Camphoræ, Hydrargyri etc: privos, eosque multis modis, inque variis morbis, salutares, in trismo etiam dolorifico, attestantibus luculentis scriptoribus, laude sua non fraudantur.

PILULÆ MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI ET OXYDI STIBII HYDRO-SULPHURATI.

Pilulae Plumeri.

R. Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati,
Oxydi stibii Hydrosulphurati praecipitati,
utriusque partes tres,
Extracti Gentianae lut., vel
.... amari,
Saponis oleosi, utriusque partem.

Duobus primis ingredientibus, simul tritis, adde extractum, saponem, et syrupi simplicis sufficientem quantitatem, si opus, ut fiat massa.

Dos. Grana quinque, ad decem.

*

PILULÆ MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI STIBIATÆ.

R. Tartratis Stibii et Potassae grana quindecim,
Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati,
Camphorae (ope aliquot guttarum Alcoholis in pulverem redactae) utriusque drachmam,
Opii puri semidrachmam
Mucilaginis gummi Mimosae niloticae, quantum sufficit ut fiat massa, in pilulas sexaginta aequales, dividenda.

Us. Rheumatalgia, dolores ossium syphilitici.

Dos. Pilulæ duæ, bis die.

PILULÆ NITRATIS ARGENTI FUSI.

R. Nitratis argenti fusi grana quinque,
Extracti Glycyrrhizae gl scrupulum,
Misce, fiant pilulae viginti aequales.

Pilularum dosis ab una incipiendo, sensim sensimque quotidie augetur ad sex usque, vel donec nausea fuerit mota.

Us. Epilepsia, etc.

PILULÆ OXY-NITRATIS HYDRARGYRI ET AMMONIÆ.

R. Oxynitratis Hydrargyri et Ammoniae drachmam,
Extracti Glycyrrhizae gl., vel
Mellis quantum sufficit ut rite conterendo fiant pilulae centum viginti conspergendae,
Lauri Cassiae corticis pulvere.

Interdum recte additur, Opii eadem quantitas, quæ Oxynitratis est.

Subinde loco Oxynitratis Hydrargyri et Ammoniæ, recte sumitur Acetas, Murias Hydrargyri oxydulatus, Phosphas, aut Tartras Hydrargyri, et tunc dosis diminuenda est.

Us. Syphilis.

Dos. Pilulæ duæ, bis die.

PILULÆ PICEÆ.

R. Olei empyreumatici Pini sylvestris quantum vis, Pulveris radicis Glycyrrhizae gl. quantum sufficit, ut fiat massa in pilulas granorum quinque dividenda.

V. Sudifica, diuretica, antiseptica.

Us. Scorbutus, morbi cutanei, tinea, herpes, psora, etc.

Dos. Pilulæ quatuor, sex, bis terve de die, superbibendo decocturam specierum Guajaci compositarum.

PILULÆ RHEI PALMATI.

R. Pulveris radicis Rhei palmati semunciam,
Gummi-resinae Aloës p. drachmas tres,
. . . . Myrrhae drachmas duas,
Olei destillati Menthae C. guttas quindecim.
Cum Syrupo Zingiberis subige in massam.

Us. Dyspepsia, inflatio, alvus contracta.

Dos. Massæ grana quindecim ad viginti quinque, et amplius, bis de die, superbibendo aquam tepidam, vel infusum M. Chamomillæ.

PILULÆ SCILLINÆ.

R. Radicis Scillae maritimae siccatae, et in pulverem subtilem tenuatae,
Gummi-resinae F. Ammon depuratae, vel
. . . . F. Asae foetidae,
Pulveris aromatici, vel
. . . . radicis A. Zingiberis, vel
. . . . seminum A. Cardamomi,
Saponis oleosi, singulorum, pares portiones,
Excipe Tincturae aromaticae, vel
. . . . Gummi resinae Guajaci volatilis, vel
Syrupi simplicis, sufficiente quantitate, et in massam justae crassitudinis subigito.

V. Diuretica.

Us. Morbi pulmonum asthenici, pituita stipati, hydrops.

Dos. A granis massæ decem, ad scrupulum bis, terve de die.

PILULÆ SCILLINÆ ET MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI.

R. Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati partem,
Pulveris Scillae m. partes duas,
. . . . aromatici partes tres,
Syrupi simplicis quantum satis.
Subige in massam.

Us. Ut, et præcedentis. Insuper hypochondriasis, præsertim addito Aloës et Saponis pauxillo.

Dos. Grana sex ter de die, vel a decem granis ad quindecim noctu dormituris, et pulverem Supertartratis Potassæ, et Stalagmitidis Cambogioidis mane insequenti, addito interdum Opii grano, præberi expedit.

PILULÆ SUB-OXYDI HYDRARGYRI.

R. Hydrargyri unciam,
Balsami Pini Laricis semidrachmam.

Conterito donec globuli Hydrargyri disparuerint, addendo gradatim mucilaginem gummi Mimosæ niloticæ, si opus fuerit. Tandem cum sufficiente quantitate pulveris radicis Glycyrrhizæ gl., vel Amyli, formentur pilulæ octaginta æquales.

Dos. Pilula, vel duæ, mane, et vesperi.

PILULÆ SUB-SULPHATIS CUPRI ET AMMONIÆ.

R. Subsulphatis Cupri et Ammoniae grana sedecim,
Micae panis scrupulos quatuor,
Subcarbonatis Ammoniae liquidi, quantum satis sit, ut fiat massa in pilulas triginta duas aequales dividenda.

vel

R. Subsulphatis Cupri et Ammoniae
grana sedecim,
Succi spissati Hyosciami, vel
.... Conii maculati, vel
.... Aconiti neom. drachmam,
Pulveris radicis Valerianae off. quantum satis,
ut fiat massa in pilulas triginta duas aequales
dividenda.

Cujus, subinde, singulis dosibus addantur, Oxydi Zinci grana duo.

V. Tonica.

Us. Epilepsia.

Dos. Pilula, bis terve de die, sensim augendo dosin.

POTASSA.

Kali purum Ph. Lond. Kali causticum siccum Ph. Bor. Alcali vegetabile causticum Ph. Dublin. Alcali causticum Ph. Ross. Ѣдкій поташъ.

R. Aquae, vel solutionis Potassae (Lixivii caustici Ph. Ross.) quantum velis.

Tamdiu in ferreo vase vaporet, donec instillata frigido lapidi guttula indurescat. Tum sal indatur crucibulo, eique calor admoveatur, usque dum forma olei fluxerit, quod illico in canalem ferreum calentem, olivo illitum effundatur, qui an-

serinæ pennæ magnitudinem habet. Denique in apta frustula secatur in vitro bene clauso servanda.

V. Corrodens, vesicans.

Us. Extus admota callosos supercrescentium ulcerum margines exest; injecta autem, urinæ itineri, multa aqua diluta, confestim, illato stupro, blennorrhœam averruncat, FORDICE, non neglecta, glandis, ope ejusdem solutionis, ablutione. Vulnera a canibus rabidis inflicta, et ictum viperarum sanat.

Ad parandum Alcohol fortius inservit.

POTASSA LIQUIDA.

Щелокъ ѣдкопоташный. *Lixivium causticum Ph. Ross. Aqua Potassae. Solutio Potassae.*

R. Subcarbonatis Potassae libras duas,
Vasi ferreo inditis affunde:
Aquae communis fervidae decuplum, tum successive adde: Calcis pulveratae libras tres
Coque per quadrantem horae spathula movendo.

Si liquor cum acido quocunque commistus, nullam producit effervescentiam, calx addatur. Calo per linteum.

Liquor vitreis lagenis obturatis infusus, ubi subsederit, effundatur, atque evaporet, donec ejus unciæ quatuor vas com-

pleverunt, quod capax foret unciarum trium aquæ simplicis. In lagenis vitreis probe clausis servetur.

V. Summe rodens.

Us. Ad parandas alias medicinas, et labores pharmaceuticos instituendos.

Extus: si paulum ejusdem aqua diluitur nodos podagricos, medicari, ut et morsui viperæ, et canis rabidi, opitulari fertur.

Ad parandum Ætherem sulphuricum, Saponem quoque sebaceum, inservit.

POTUS ACIDUS MINERALIS.

R. Decocturae Furfuris, vel
.... Hordei d. vel
Aquae panis biscocti bilibram,
Acidi sulphurici diluti drachmam,
Mellis despumati semiunciam, vel
Syrupi simplicis, vel
Roob baccarum V. Oxycocci, unciam.

Us. Synocha, synochus miliaris, varicella, et alii sthenici morbi; sub initio pemphigus etc.

POTUS ACIDUS VEGETABILIS.

R. Decocturae Furfuris, vel
.... Hordei d. vel
Aquae panis biscocti, bilibram,
Supertartratis Potassae scrupulos quatuor,
Syrupi simplicis, vel
Roob baccarum V. Oxycocci unciam, vel
Mellis despumati semunciam.

Us. Idem, ut, et præcedentis. Huic tamen recte substituitur posca, Ruthenice квасъ dicta.

POTUS ÆTHERIS SULPHURICI ALCOHOLISATI.

R. Aetheris sulphurici alcoholisati drachmam,
Aquae fontanae, vel
Decocturae Furfuris, vel
.... Hordei d. bilibram,
Sacchari puri semunciam, vel
Mellis flavi unciam,
Frigide misceantur.

Us. Typhus, aliique consimiles morbi.

NB. Quum haud raro, vires vitæ deficiunt, potio gentilitia збитень dicta, herbis aromaticis, et melle ex aqua decoctis, vel ex melle adjecto piperis tantillo, subinde cum alcohole diluto facta, non est respuenda. Vices cardiacæ aquæ etc. supplet, præsertim militibus majora facientibus itinera, quum in morbum incidunt adcommoda.

PULPA MELIMELORUM.

(*Pomorum dulcium.*)

R. Melimelorum quantum vis.

Coque ex aqua, et transprime per filtrum. Pro cataplasmate ophthalmico.

PULPA PRUNORUM.

R. Fructuum Pruni domesticae, exemtis nucleis, quantum lubet.

In sufficiente quantitate aquæ ebulliant ad perfectam solutionem, quæ per setaceum trajecta, ad mellis crassitudinem evaporet, et addendo singulis libris, duas sacchari uncias, leni igne ulterius inspissando, fiat pulpa.

Dos. *Interne*: a semuncia ad duas uncias, modo sola, modo cum alio medicamine, soluta in aqua, sero, aut simili vehiculo, jam sub forma electuarii cum aliis ingredientibus catharticis, ut Supertartrate Potassæ, Sulphate Magnesiæ, foliis Cassiæ Sennæ, radice C. Jalapæ etc.

Vices pulparum Cassiæ, et fructus Amlycæ indicæ (tamarindorum) haud mediocri œconomiæ emolumento supplet addito in primis, ut posteriori sit analoga, supertartrate Potassæ, vel Acido tartarico, absque mistione sacchari.

PULVIS ABSORBENS.

R. Subcarbonatis calcis pulverati,
Farinae avenaceae, utriusque pares portiones.
Misce.

Us. Extus erysipelati admovetur.

Erysipelati, erythemati, sub initium, plerumque debilitantia, conveniunt; procedenti vero tempore, simulac metus typhi gravioris, vel gangrænæ subest, vel oppressionis encephali indicia, puta apathia, stupor etc. urgent; scire licet mala hæc jam retrograda, vesicantibus nuchæ admovendis, stimulantibus, aliisque revocanda esse.

PULVIS AROMATICUS.

R. Seminum A Cardamomi,
Radicis A. Zingiberis,
...... A. Calami,
Piperis longi, vel
...... nigri, singulorum partes aequales.

Tere simul in pulverem tenuissimum, in vase vitreo bene obturato servandum.

vel

R. Pulveris corticis Lauri Cassiae,
Seminum A Cardamomi,
Radicis A. Zingiberis, singulorum pares portiones.

In pulverem subtilissimum tenua, in vase vitreo probe obturato servandum.

V. Stimulans, calefaciens, peptica.

Us. Dyspepsia, inflationes. Supervenientem scarlatinæ anginosæ, aliisque febribus asthenicis, alvi resolutionem, ægro discrimen minitantem, vino nuptus, cohibet.

Dos. A granis decem ad scrupulum, et amplius per se, vel in connubio aliorum.

Praep. *Dec. Cinchonae. — Pil. cathartico-diureticae. — Pil. scillinae. — Pil. scillinae et Mur. hydr. oxydulati. — Pulv. Junip. s. comp. — Pulv. sulphur. subl. comp. — Pulv. Supertartr. potass. et stalagm. Cambog. — Tinctura aromat. — Tinctura Gentianae comp.*

PULVIS C. IPECACUANHÆ ET OPII.

Pulvis Doveri.

R. Pulveris radicis C. Ipecacuanhae,
Opii, utriusque partem,
Sulphatis Potassae partes octo.

Tenua in subtilissimum pulverem.

V. Excitans, sedans, eximie sudifica.

Us. Rheumatalgia, aliive morbi a perfrictione oriundi, dysenteria, diarrhœa, hydropisis etc.

Dos. A granis decem ad scrupulum.

Sumto remedio nil illico bibendum, ne vomitiones provocentur.

Praep. *Pulv. gummi-resinae Guajaci. comp.*

PULVIS CARBONIS ACIDULUS.

R. Carbonis ligni scrupulum,
Acidi citrici concreti grana quinque.
M. f. pulvis tenuissimus, ter de die, propinandus.

Us. Alvi dejectionibus fetidis, dysenteria declinante quandoque idoneus.

PULVIS C. JALAPÆ ET MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI.

R. Pulveris radicis C. Jalapae scrupulum,
Muriatis Hydrargyry oxydulati praeparati grana quinque.

Misce, fiat pulvis tenuissimus pro dosi e Syrupo, vel Melle sumendus mane.

Cui interdum adduntur gummi-resinæ Stalagmitidis Cambogioidis grana duo ad sex.

V. Cathartica, anthelminthica, diuretica interdum.

Us. Alvus adstricta, hydrops, mania, vermes intestina occupantes.

PULVIS C. JALAPÆ ET SUPERTARTRATIS POTASSÆ, VEL SULPHATIS EJUSDEM.

Pulvis purgans.

R. Pulveris radicis C. Jalapae,
Supertartratis Potassae vel
Sulphatis ejusdem utriusque pares portiones.

Misce fiat pulvis subtilissimus.

V. Cathartica.

Us. Alvo compressa.

Dos. Scrupulum ad semidrachmam.

Loco radicis Jalapæ, Rheum palmatum substitui potest, tunc detur compositionis semidrachma ad drachmam.

PULVIS CORTICIS QUERCUS R. ET ANTHEMIDIS NOBILIS.

R. Pulveris corticis Quercus R.,
.... florum Anthemidis nobilis,
utriusque scrupulum.

Misce, fiat pulvis subtilissimus, cui adde, si vis, pulveris corticis Lauri Cassiæ grana quinque, vel pulveris aromatici grana decem.

V. Adstringens, peptica.

Us. In febribus intermittentibus, ut succedaneus Cinchonæ officinali.

Dos. Scrupuli duo ad drachmam, secunda, vel tertia quaque hora, tempore apyrexias.

PULVIS CORTICIS SALICIS COMPOSITUS.

Cinchonæ succedaneus.

R. Corticis Salicis uncias novem,
...... Quercus R. uncias duas,
Radicis Gentianae luteae unciam. Misce.

Us. Vir. et Dos. eadem, ac Cinchonæ officinalis.

PULVIS GUMMI-RESINÆ GUAJACI ET SUB-CARBONATIS AMMONIÆ.

R. Gummi-resinae Guajaci off. semidrachmam,
Subcarbonatis Ammoniae grana quinque.

Contere, ut fiat pulvis ex melle, vel syrupo simplici, dormituro noctu, porrigendus.

Us. Rheumatalgia atonica, arthrodynia, exanthemata asthenica retropulsa, etc.

PULVIS GUMMI-RESINÆ GUAJACI, ET TARTRATIS STIBII ET POTASSÆ.

R. Gummi-resinae Guajaci off. drachmam,
Tartratis Stibii et Potassae granum,
Supertartratis Potassae drachmas duas.
Misce, fiat pulvis subtilissimus.

V. Excitans, sudorem, et alvum movens.

Us. In rheumatalgia egregius.

Dos. A scrupulo ad semidrachmam, e syrupo simplici.

PULVIS GUMMI-RESINÆ GUAJACI-OPIATUS.

R. Gummi - resinae Guajaci off. grana decem,
Pulveris radicis C. Ipecacuanhae et Opii,
grana quinque. Misce.

Pro dosi ad semel propinanda.

V. et Us. ut præcedentis; præstantior tamen.

Huic interdum adduntur:

Camphoræ (ope aliquot guttarum alcoholis pulveratæ) grana quatuor,

Sacchari grana decem.

PULVIS JUNIPERI SABINÆ COMPOSITUS.

R. Pulveris foliorum Juniperi Sabinae,
Carbonatis ferri praecipitati,
Radicis A. Zingiberis, vel
Pulveris aromatici, singulorum partem.
Misce, ut fiat pulvis.

Us. Hypochondriasis, amennorrhœa, dyspepsia.

Dos. Semidrachma ad scrupulos duos, bis de die.

Interdum adduntur singulis dosibus gummi-resinæ Myrrhæ grana sex ad decem, vel Aloës perfoliatæ grana quinque, separatim, vel conjunctim.

PULVIS NITRATIS POTASSÆ COMPOSITUS.

R. Nitratis Potassae,
Sacchari albi utriusque semunciam,
Gummi Mimosae niloticae unciam.
Misce, fiat pulvis.

Dos. Drachma ad sesquidrachmam.

PULVIS PRO SUFFIMENTO.

R. Gummi-resinae Amyris Kataf,
Succini, utriusque partes tres,
Florum Lavandulae spicae partem. Misce.

Baccæ Juniperi communis super prunas ustæ, odorifera virtute, præcedenti suffimini, æquiparabiles.

PULVIS RHEI PALMATI ET MURIATIS HYDRARGYRI OXYDULATI.

R. Pulveris radicis Rhei p. scrupulum,
Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati grana sex.
Misce, fiat pulvis.

Pro dosi e melle, vel syrupo dandus, alvo coacta, vel tribus vicibus, intervallo duarum, trium, quatuor, quinque horarum.

PULVIS SULPHATIS FERRI ET GUMMI KINO.

Pulvis stypticus.

R. Sulphatis Ferri,
Gummi-resinae Kino, vel
Succi spissati Mimosae Catechu, utriusque pares portiones.

*

vel

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae,
partes quatuor,
Gummi-resinae Kino partem,
Redigantur in pulverem tenuissimum.

V. Prioris, adstringens, tonica, vermifuga.

Us. *Interne:* hæmorrhagia, dyspepsia, vermes.

Dos. Grana decem ad quindecim.

Uterque pulvis, *externe:* ad sistendum sanguifluxum minorum vasorum, ad curanda ulcera scorbutica, atonica, etc. adspergendo, idoneus.

PULVIS SULPHURIS SUBLIMATI COMPOSITUS.

R. Sulphuris sublimati,
Supertartratis Potassae, utriusque partes duas,
Pulv. rad. A. Zingiberis, vel
.... aromatici, vel
Elaeosacchari C. Carvi, vel
.... A. Foeniculi, partem.

V. Leniter alvum sollicitans.

Us. Psora, morbi cutanei ceteri, pulmonum pituitosi, hæmorrhois.

Dos. Drachma ad duas, e syrupo hora decubitus.

Quandoque Supertartras Potassæ omittitur.

PULVIS SUPERSULPHATIS ALUMINÆ ET POTASSÆ COMPOSITUS.

Pulvis escharoticus.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae fusi,
Oxydi hydrargyri rubri per acidum nitricum,
Acetatis cupri, singulorum partem,
Foliorum Juniperi Sabinae, vel
Rhei palmati, vel
A. Calami, vel
Pulv. rad. Colombae partes duas, vel
Carbonis ligni tantumdem.
Fiat pulvis perquam subtilis.

V. Excitans, adstringens, rodens.

Us. Ulcera supercrescentia, phagedæna, rhagades, verruca, psoriaris, et alii similes morbi.

PULVIS SUPERTARTRATIS POTASSÆ ET DIGITALIS PURPUREÆ.

R. Supertartratis Potassae scrupulum,
Pulveris foliorum Digitalis purpureae granum,
.... radicis A. Zingiberis grana decem,
Misce, fiat pulvis perquam tenuis.

V. Sedans, diuretica, aliquando emetica, cathartica.

Us. Hydropisis, anasarca, hydrothorax.

Dos. A semidrachma sensim sensimque dosin augendo ad sesquidrachmam bis de die.

PULVIS SUPERTARTRATIS POTASSÆ ET STALAGMITIDIS CAMBOGIOIDIS.

R. Supertartratis Potassae semunciam,
Gummi-resinae Stalagmitidis Cambogioidis grana duo,
Pulveris aromatici grana decem, vel
.... radicis A. Zingiberis scrupulum.

V. Cathartica, diuretica.

Us. Hydrops anasarca, ascites.

Dos. Semuncia ad unciam summo mane ex aquæ vasculo.

PULVIS VOMICUS.

In hunc finem exhibeatur, pulveris radicis C. Ipecacuanhæ scrupulus.

vel

R. Pulv. rad. C. Ipecacuanhae scrupulum,
Tartratis Stibii et Potassae granum.

Misce, ut fiat pulvis, subtilissimus, pro dosi sumendus, superbibendo affatim tepidam aquam, vel infusum fl. M. Chamomillæ, simulac vomitiones fuerint provocatæ.

RESINA SUCCINI BALSAMICA.

Moscho succedanea.

R. Olei destillati Succini rectificati drachmam,
Acidi nitrico-nitrosi drachmas tres cum semisse.

Acidum sensim sensimque oleo cautim instillando, oritur resina, odore Moschum; colore vero corticem fructus Citri aurantii æmulans, aqua dein ferventi eluenda.

Dos. Eadem, quæ Moschi, eademque fere pollet virtute.

ROOB
BACCARUM JUNIPERI COMMUNIS.

Кисель можжевельный.

R. Baccarum Juniperi com. recentium maturarum, et conquassatarum partes octo.

Ex sufficienti quantitate fontanalis aquæ, donec mollescant, decoque, tum paulum exprimantur per setaceum, succus hinc obtentus, cum parte una sacchari, leniori calore ad crassitudinem mellis redigendus.

V. Ut et baccarum Juniperi.

Dos. Ad uncias duas.

Praep. *Pilulae Digitalis purpureae.*

ROOB BACCARUM V. OXYCOCCI.

Кисель клюквенный.

R. Succi baccarum V. Oxycocci
maturarum partes sex,
Sacchari albi partem.

Calore leni, sub jugi motu, ad aptam crassitudinem redige.

Dos. Ad unciam.

Praep. *Dec. antiscorbut.* — *Inf. Lini usitatiss.* — *Pot. acid. vegetab.* — *Pot. acid. mineral.*

SAPO STIBIATUS.

Sapo antimonialis.

R. Oxydi Stibii hydrosulphurati unciam,
Digerendo in Potassae liquidae sufficienti
quantitate, solvito:

In liquido, triplici aquæ destillatæ quantitate diluto, dissolve:

Saponis oleosi rasi selibram.

Leni calore ad crassitudinem massæ pilularis evaporent, addendo, si massa rubet, tantum Potassæ liquidæ, quantum satis est, ut colorem ex albido cinereum præ se ferat.

SAPO TEREBINTHINATUS.

Balsamus vitae externus.

R. Saponis sebacci rasi,
Olei destillati Pini Laricis, vel
.... sylvestris,
utriusque libram,
Subcarbonatis Potassae uncias tres.

Lege artis misce, et pro usu externo in solutione quantitatis placidæ alcoholis diluti, vel aquæ adhibendum, serva. — PRAEP. *Embroc. sapon. rubefaciens.*

SCILLA PRÆPARATA.

R. Bulbum Scillae maritimae recentis, ablato cortice externo, transversim sectum, et in taleolas tenuandum.

Calore leni, ut in balneo maris, vel æstivo soli expositus, vel in loco temperate calido, probe exsiccetur, ut fiat friabilis, et tunc in pulverem tenuetur, in vitro probe clauso, servandum.

Interne: a duobus ad sex grana, ut parte prima innui præscribitur, nunquam sola, subinde cum saccharo, vel cum pulvere Glycyrrhizæ glabræ, vel cum Magnesia, etc. sæpius in bolis, vel pilulis, tinctura, oxymelle, vel syrupo datur, aut alicui commista vehiculo. Additur etiam irritantibus clysteribus; præsertim vero,

quum Nicotianam Tabacum subterdedisse juvat.

Scillæ, ejusque præparatis, nauseolæ, quam interne sumta movet, interdum avertendæ causa, congruum est additamentum, aroma quodpiam.

Praep. *Acet. scillit.* — *Dec. Polyg. amar.* — *Pil. scillin.* — *Pil. cathart. diureticae* — *Pil. scill. et Mur. hydrarg. oxydulati.* — *Tinct. scillae.* — *Vinum scillit.*

SERUM LACTIS ACETOSUM.

R. Lactis vaccini recentis,
Aquae fontanae, utriusque libram,
Mistis, et ebullientibus adde:
Acidi acetici impuri unciam.
Aufer coagulum.

Subinde aceto substitui possunt:

Supertartratis Potassae drachmae duae, vel vini albi aciduli selibra, vel

pro re nata inter coquendum:

Fructus Amlycae Indicae, si præsto est sescuncia, vel succi antiscorbutici unciæ duæ.

V. Acidula accepta, frigerans, alvum liquans.

Dos. A quatuor unciis ad libram.

SERUM LACTIS ALUMINOSUM.

R. Lactis vaccini recentis libram,
Supersulphatis Aluminae et Potassae drachmam.

Coquito paulisper, et aufer coagulum.

Dos. Sescuncia, unciæ duæ, bis terve de die.

SERUM LACTIS SINAPINUM.

R. Seminum Sinapis nigrae pulveratorum unciam.

Terendo successive affundito:
Lactis vaccini recentis libram.

Tandem addito: acidi acetici impuri, vel Vini Rhenani, si præsto est, quantum sufficit, ut fiat coquendo coagulum; dein cola.

Us. Rheumatalgia asthenica, nevroblacia, paralysis, morbi viscerum asthenici, pituitosi.

Dos. Selibra omni nocte.

SOLUTIO ACETATIS CUPRI ET MURIATIS AMMONIÆ.

Aqua sapphirina.

R. Aquae Calcis recentis uncias octo,
Muriatis Ammoniae scrupulos duos,
Acetatis cupri grana quatuor.

Misce, et digere per viginti quatuor horas; dein per chartam cola.

Us. *Externus:* phagedæna, palpebræ ulceratæ. Aquæ duplici quantitate diluta, ophthalmia asthenica, maculæ corneæ. Plura lege in prima parte.

SOLUTIO ACETATIS PLUMBI CRYSTALLISATI FORTIOR.

Aqua vegeto-mineralis.

R. Acetatis Plumbi crystallisati scrupulum,
Acidi acetici impuri, vel diluti drachmam,
Aquae destillatae, vel fontanae uncias quinque.
Misce.

vel

R. Acetatis Plumbi liquidi scrupulos quatuor,
Alcoholis diluti,
Acidi acetici diluti, vel impuri,
singulorum drachmam,
Aquae destillatae, vel fontanae libram. Misce,
ut fiat Aqua Super-acetatis Plumbi liquidi.

Si addas duplicem aquæ quantitatem, solutionem ejus dilutiorem habebis.

Us. Inflammationes, vi extrinsecus illata, motæ, adusta, contusiones, luxationes, fracturæ, morbi ocularii inflammatorii; vel linteis eadem humectis, vel cataplasmatibus parti affectæ superdatis, curantur.

Praep. *Cat. acetat. plumbi.*

SOLUTIO ACETATIS ZINCI.

R. Sulphatis Zinci drachmam,
Aquae destillatae uncias decem. Solve,

dein

R. Acetatis Plumbi crystallisati scrupulos quatuor,
Aquae destillatae uncias decem. Solve.

Misceantur solutiones, quiescant paulisper; dein coletur liquor.

V. Adstringens, ut solutionis Sulphatis Zinci.

Us. Videsis: Sulphatem Zinci.

SOLUTIO ACIDI ARSENICOSI ET NITRATIS POTASSÆ.

R. Acidi Arsenicosi scrupulum,
Nitratis Potassae scrupulos duos,
Aquae fontalis uncias decem pondere.

Committito vitreæ lagenæ, subere, ut vapores evadere queant leviter occlusæ, quæ in ducentorum duodecim graduum calore thermometri Fahrenheitiani, vel octoginta Reaumuriani posita, aut suspensa in bulliente aqua, interdum lagena agitetur quoadusque Arsenicum perfecte fuerit solutum; dein per chartam colatis adde:

Tincturae A. Calami guttas ducentas, plus, vel minus, ut pondus solutionis decem unciarum, et drachmae unius sit accuratum.

Us. In primis sordibus primarum viarum subductis, febribus intermittentibus, adcommodatissima; prætereà in laude eidem ponitur, quod psoriasi, phthiriasi, elephantiasi, porrigini, impetigini, herpetibus, achoribus propulsandis sit par. Pertussi SIMMONS nuper, FOWLER; epilepsiæ vero alii opposuere.

Dos. Hujus solutionis guttæ viginti, sensim sensimque, idque cautissime, dosin ad quadraginta augendo guttas dentur.

Simulac, aut nausea, aut vomitus, qui perraro occurrunt, provocati fuerint, aut tormina, vel alvi profluvium supervenerit diluentes potiones interponere juvat; a medicamento vero interea abstinendum. — Ex quovis vehiculo conveniente sumitur.

Corpori debilitato, apyrexias tempore, roborantibus succenturiandum, et alvus, si adstricta est, liquanda congruis remediorum adminiculis, ut ex. gr. pilulis aloëticis, radice Rhei palmati, aliisque.

Acidum arsenicosum, arbitratu DARWINI, in systema absorbens agit, ventriculum stimulat, torporem systematis arteriosi cohibet, et sic febres propulsat, cui opinioni, num adstipulari liceat,

subactiori aliorum judicio relinquimus. Hæc solutio, in variis morbis; præsertim vero in febribus intermittentibus; cautim tamen adhibita, nullo non tempore mihi respondit, ita quidem, ut milleni febrientium non sine voluptatis sensu, salutem suam huic remedio in acceptis retulerint, idque brevissimo tempore. Medicamen efficax, ne noxas inferret, satius est a medentibus ipsis, qui salutem suorum ægrorum cordi habent, præparari, et præberi, quam administris credere.

SOLUTIO ACIDI MURIATICI OXYGENATI VAPORIFERA.

R. Muriatis sodae pulverati libras quinque,
Committe vasi vitreo amplo, et gradatim affundito:
Acidi sulphurici concentrati libras quatuor.

Contagionem correcturus, vas vaporiferum de loco in locum per cubiculum transferto, et vapores ad modum Guyton-Morveau optatos habebis.

SOLUTIO ACIDI NITRICI VAPORIFERA.

R. Acidi sulphurici,
Nitratis Potassae pulverati, utriusque pares portiones.

Sal in vase aperto, sensim additur acido, et vapores optatos olim a JOHNSTONE laudatos; nunc vero, a CARMICHAEL SMYTH ab oblivione vindicatos, habebis.

SOLUTIO
ALEXITERIA OXYGENATA.

R. Oxydi Manganesii pulverati drachmas sex,
Muriatis sodae pulverati, uncias quatuor.

Misce terendo; dein vase vitreo committe, et adde: Aquæ semunciam; tandem gradatim affunde Acidi sulphurici uncias duas.

Us. Vaporatio his tribus solutionibus producta corrigit aëra, et contagionem valetudinariorum, carcerum, navium, etc. tollit.

Hi vapores sunt ad modum GUITON-MORVEAU.

SOLUTIO
ARSENITIS POTASSÆ.

Secundum pharmacopœiam valetudinarii Regii Edinburg.

R. Acidi Arsenicosi,
Subcarbonatis Potassae, utriusque grana duo,
Aquae destillatae uncias quatuordecim.

Priora duo ex aqua in vitrea coquito la-

gena, donec soluta fuerint; frigefactum liquorem cola per chartam, dein adde:

Tincturae aromaticae uncias duas.

Dos. Semuncia ad unciam bis de die.

Solutio hæc ad chemiæ regulas exactior quidem est; sed quoniam virtutem ejusdem medicamentosam, nequaquam explorare mihi licuit, solutionem acidi arsenicosi et Nitratis potassæ, experientia multiplici nixam, lubens præfero.

SOLUTIO
MURIATIS AMMONIÆ ACETATA.

R. Muriatis Ammoniae unciam,
Acidi acetici impuri uncias duas,
Aquae fontalis uncias quatuor. Misce.

Dos. Drachma, (continens Muriatis Ammoniæ grana decem) ad semunciam, vel etiam sex drachmas.

SOLUTIO MURIATIS BARYTÆ.

Aqua Barytae.

R. Muriatis Barytae partem,
Aquae destillatae partes tres. Solve.

Dos. Guttæ quinque ad decem.

SOLUTIO MURIATIS CALCIS.

R. Subcarbonatis Calcis puri (nempe Marmoris albi in frusta contusi uncias novem,
Acidi muriatici uncias sedecim,
Aquae uncias octo.

Misce acidum cum aqua, et adde paulatim frusta Subcarbonatis calcis. Effervescentia finita, digere per horam, liquorem effunde, et per vaporationem ad siccitatem redige. Residuum solve ex sesquialtero pondere aquæ, et demum cola.

Us. Scrofula.

Dos. Guttæ quadraginta ad drachmam, in uncia aquæ.

SOLUTIO MURIATIS HYDRARGYRI OXYDATI.

Liquor van Swietenii.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati grana sex,
.... Ammoniae grana duodecim.
Solve in Aquae destillatae, vel Acoholis diluti libra

Dos. Drachmæ duæ ad unciam, bis de die.

SOLUTIO MURIATIS HYDRARGYRI OXYDATI CORRODENS.

Prima.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati drachmam,
.... Ammoniae drachmas duas.
Solve in Alcoholis diluti uncia.

Secunda.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati drachmam,
Acidi muriatici concentrati drachmas duas. Solve.

Hæc præcedenti longe fortior est, quippe cujus guttæ binæ granum Muriatis hydrargyri continent, gutta proinde dimidium granum, cujus, si dimidiam partem, ratio morbi, exhiberi suadet, tum hæc uncia aquæ diluta, bifariam divisa, partitis exhibetur vicibus.

Us. *Externe*: condylomata, verrucæ, rhagades, ulcera supercrescentia, et id genus alia. Penicillo hoc liquore madido, semel, vel bis de die adfricando.

SOLUTIO MURIATIS HYDRARGYRI OXYDATI ET AMMONIÆ FORTIOR.

Aqua phagedaenica.

R. Muriatis Hydrargyri oxydati grana octodecim,
.... Ammoniae drachmam,
Aquae destillatae libram.

Solve, cola, et pro usu externo serva.

V. Corrosiva.

*

Us. Rhagades, condylomata, verrucæ. Ope penicilli, vel plumaceolæ admota.

Praep. *Lin. superacetat. plumbi comp.*

Solutio Muriatis Hydrargyri Oxydati, et Ammoniae dilutior fiet, si aquæ, vel alcoholis diluti quantitas sumatur triplex. —

Hæc usui interno peraccommoda, atque a duabus propinando drachmis ad semunciam, vel ad unciam.

SOLUTIO MURIATIS POTASSÆ OXYGENATI.

R. Muriatis Potassae oxygenati drachmam.
Aquae destillatae libram. Misce, solve.

Us. Ulceribus herpeticis, atonicis, penicillo, aut linteo carpto excepta applicetur semel, vel bis de die.

Si loco libræ, quantitas aquæ trilibris sumatur, fiet Potio Oxygenata, quæ in asthenia generali, cachexia, scorbuto, hepatitide chronica, herpete, impetigine, psora, aliisque cuticularibus, laudatur.

Dos. Libra potionis ad duas, de die.

SOLUTIO
NITRATIS ARGENTI FUSI.

R. Nitratis Argenti fusi scrupulum,
Aquae destillatae semunciam. Misce, solve.

Us. *Interne*, eximius in epilepsia a guttis tribus sensim sensimque dosin augendo, usque ad guttas sedecim bis, terve de die ex quovis potu.

Externe: ulcera sordida, aliave rebellia; linteo eadem madido, marginem tangendo.

Aquæ libris tribus diluta, ulcera oris, blennorrhœa. Solutionis hujus, guttæ tres continent gr. $\frac{1}{4}$, duodecim guttæ granum, sedecim guttæ granum 1$\frac{1}{3}$.

SOLUTIO SAPONIS.

Linimentum saponaceum.

R. Saponis sebacei uncias quatuor,
Alcoholis diluti bilibram.
Fiat solutio, et si opus, coletur.

Us. *Extrinsecus*: myodynia, et arthrodynia rheumatica, contusura, distorsio, etc.

Praep. *Fom. sapon. ammoniatum.* — *Fom. sapon. comp.* — *Lin. ammon. terebinthinatum.*

SOLUTIO SUB-ACETATIS CUPRI ET AMMONIÆ.

R. Acetatis Cupri crystallisati drachmam,
Ammoniae liquidae unciam. Misce fiat solutio.

Us. Ulcera syphilitica, et similia: singulis aquæ frigidæ unciis additis guttis decem, plus, vel minus. Linteum carptum hacce solutione madidum ejusmodi ulceribus sæpius imponendo, egregie opitulatur.

SOLUTIO SULPHATIS ZINCI.

R. Sulphatis Zinci grana sedecim,
Aquae fontanae uncias octo,
Acidi sulphurici diluti guttas sedecim.

Solve sulphatem zinci in aqua, dein addito acido, per chartam cola.

vel

R. Sulphatis zinci scrupulum,
Aquae ferventis sescunciam.

Fiat solutio, pro dosi sumto veneno, confestim sumenda.

V. Prioris, adstringens.

Us. Blennorrhœa, et leucorrhœa, ophthalmia atonica, fistula lacrymalis, operatione peracta.

SOLUTIO
SULPHATIS ZINCI ALUMINOSA.

Aqua aluminosa Batiana.

R. Sulphatis Zinci,
Supersulphatis Aluminae et Potassae,
utriusque semunciam,
Aquae fervidae bilibram.

Misce in vase vitreo, ut fiat solutio, et cola.

Us. Vulnera, et ulcera phagedænica, cutisque vitia, ophthalmia, blennorrhœa.

SOLUTIO
TARTRATIS STIBII ET POTASSÆ.

R. Tartratis Stibii et Potassae grana sex,
Aquae destillatae selibram. Misce, solve.

V. Emetica, nonnumquam cathartica, latibulante in primis acido in primis viis.

Us. Febres, catarrhus, dysenteria, pertussis, scarlatina anginosa, narcotismus, dyspepsia. Pulvis vomicus in eundem finem propinandus.

Dos. Uncia singulis horæ quadrantibus, donec vomitiones ciet, danda.

SPECIES ALTHÆÆ COMPOSITÆ,

Species pectorales.

R. Radicis Althaeae off concisae,
Herbae Tussilaginis Farfarae
utriusque partes tres,
Radicis Inulae Helenii concisae,
. . . . . . Glycyrrhizae gl: concisae,
Florum Arnicae montanae,
Capsularum seminalium Papaveris Somniferi contusarum, singulorum partem Misce.

Decoque sescunciam specierum in bilibra aquæ ad sesquilibram, cujus sumitur cyathus sæpius de die.

SPECIES AROMATICÆ.

R. Herbae Artemisiae Absynthii,
. . . . Menthae crispae,
. . . . . Origani vulgaris,
. . . . . Thymi Serpylli.
Florum Matricariae Chamomillae,
Singulorum pares portiones.

Concisa misceantur.

Us. *Extus* cataplasmatibus, et fomentis variis pro re nata admovendis inservit.

Praep. *Foment. aromat.*

SPECIES GUAJACINÆ COMPOSITÆ.

Species lignorum.

R. Scobis ligni Guajaci officinalis partes tres,
Radicis Arctii Lappae,
. . . . . Caricis arenariae,
. . . . . Saponariae off. singulorum partes duas,
Stipitum Solani Dulcamarae partem.

Virt. Us. Dos. videsis: decocturam purificantem, et eandem cum D. Mezereo.

SPECIES
TURIONUM PINI COMPOSITÆ.

Species antiscorbuticae.

R. Turionum Pini sylvestris,
Herbae Achilleae Millefolii,
...... Fumariae off.
...... Menyanthes trifoliatae,
Rasurae ligni Juniperi communis,
Radicis Acori Calami,
Singulorum pares portiones.

Us. Inservit ad decocturam earundem parandam.

SPONGIA USTA.

Spongiæ marinæ quantum lubet, uratur in crucibulo tecto, donec fumus per commissuras exire cesset. Carbo ex refrigerato crucibulo exemtus, in subtilem pulverem redactus, usui servetur.

Ex pauca quantitate Muriatis sodæ, et Subphosphatis calcis, spongia usta constans, ad strumam averruncandam a medicis præcipue adhibenda.

V. Resolvens, exsiccans.

Us. In bronchocele egregius, præsertim cum aptis adminiculis, qualia sequentia sunt, quæ quum nullo non tempore

mihi responderint, in medium proferenda censui:

R. Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati granum
.... Ferri ammoniacalis Ph. Ros. grana tria,
Pulveris radicis Rhei palmati grana quatuor,
Spongiae ustae grana decem
Pulveris corticis Lauri Cassiae grana duo.

Misce fiat pulvis subtilissimus, et dentur tales duodecim; quorum unus bis in hebdomade cum tantillo cujuslibet syrupi a dormituro noctu capiatur.

R. Spongiae ustae unciam,
Pulveris gummi Mimosae niloticae drachmam,
.... corticis Lauri Cinnamomi grana quindecim,
Syrupi corticis Citri Aurantii quantum satis,

Ut fiat massa, longiori, lentaque trituratione, addito sensim sensimque syrupo subigenda, ex qua formentur trochisci viginti quatuor, super patinam oleo illitam siccandi. Quotidie summo mane unus, ore continendus, donec solutus fuerit, dein gradatim devorandus.

R. Fellis Tauri recentis unciam,
Muriatis sodae semunciam, solve in
Aquae tepidae uncia, adde:
Olei Oleae europeae semunciam, vel quantum satis,

Ut fiat linimentum, quo struma assidue perfricanda est, antequam sequens emplastrum superdatum fuerit.

R. Emplastri oxydi Plumbi semivitrei compositi semunciam,
Muriatis Hydrargyri oxydulati praeparati drachmam,
Tartratis stibii et Potassae grana decem. Misce.

Fiat lege artis emplastrum, super alutam extendendum, et strumæ admovendum; haud secus, ac cynanche parotideæ Mumps a Caledonibus dictæ.

SUB-CARBONAS AMMONIÆ.

Carbonas ammoniae Ph. Edinb. Ammonia praeparata Ph. Lond. Ammonium carbonicum Ph. Bor. Sal volatile salis ammoniaci Ph. Ross.

Слабая летучая щелочная соль.

R. Muriatis Ammoniae partem,
Subcarbonatis Calcis purissimi, siccati, partes duas.

Utrumque seorsim tritum permisceto, atque ex retorta in refrigeratum excipulum, sublima.

V. Excitans, resolvens, sudorem lotiumque movens, antacida.

Us. Asthenia, phrenitis hydrocephalica, lethargus, asphyxia, defectio animi, exanthemata retrograda etc.

Dos. A quinque, decem, a quindecim grana, cum aquæ congrua qauntitate.

Externe: qua odoramentum.

Praep. *Acetas ammon. liquid. — Carbon. ammon. liquid. — Garg. ammon. — Haust. acid. carbon. evolvens. — Haust. Guajac. — Mist. F. Ammon. comp. — Pulv. Guajaci et carbon. ammon. — Subsulph. Cupri et ammoniae.*

SUB-CARBONAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

Aqua Carbonatis ammoniae Ph. Edinb. Aqua ammoniae Ph. Lond. Liquor ammonii carbonici aquosus Ph. Bor. Spiritus salis ammoniaci aquosus Ph. Ross. Простой нашатырной спиртъ.

E Subcarbonatis Ammoniae uncia in tribus aquae destillatae unciis soluta, paratur.

V. et Us. Ubi ammonia liquida, Alcohol ammoniatum, et ejusdem subcarbonas, ibi hic quoque prodest.

Dos. A guttis viginti ad drachmam in liquido adaptato.

Praep. *Dec. Cinchonae off. — Pil. subsulph. Cupri et ammon.*

SUB-CARBONAS MAGNESIÆ.

Magnesia carbonica Ph. Bor. Magnesia aërata Ph. Ross. Магнезія напитанная угольною кислотою.

℞ Sulphatis Magnesiae,
Subcarbonatis Potassae utriusque
pares portiones.

Aquæ destillatæ calidæ duplo solvantur separatim, atque per chartam colentur, dein commistis, statim adjice: aquæ bullientis octuplum, denique bulliat pauli-sper, moveaturque liquor, ac post brevem quietem, imminuto videlicet paulum calore, per linteum coletur, super quod remanens subcarbonas, aqua pura, vel potius destillata, donec insulsus fuerit, eluatur, siccetur, usuique servetur.

V. Egregia, acidum, rancidumque absorbens, eccoprotica, carbonicum explicans acidum, antiseptica, ut quibusdam videtur.

Us. Ad omnia valet, quæ acido primarum viarum originem debent, hinc in inflatione, ructibus, pyrosi, vomitionibus, etc. proinde, hypochondriacis, hystericisque, huic incommodo obnoxiis, persæpe commendabilis. Rachiticis, scrofulosis, ar-

thriticis ab eadem causa, ut et achore laborantibus prodesse existimatur. Hæmorrhoicis opportunum liquandæ alvi causa, haud secus ac infantibus ægre dentientibus, alvo in primis viridi, mollimentum non spernendum.

Dos Provectæ ætatis hominibus a scrupulo ad drachmam, absorbendi scopo; alvi autem ducendæ ergo a drachma ad semunciam, vel in aqua, vel in infuso Theæ ditioribus. Saccharum etiam recte eidem additur; subinde vero, res exigunt circumstantes, ut stimulantibus, vel tonicis conjunctus, majorem promittat utilitatem, aciditate videlicet, veluti effectu, ab imbecillitate orta. Ubi gaz carbonicum extricari e re est, cum acido citrico, vel acetico, effervescat oportet. Infantibus ad unciam syrupi quatuor, scrupuli cochlearibus parvis sæpius in die propinantur.

Praep. *Mist. ejusdem.* — *Murias. Magnesiae.*

SUB-CARBONAS POTASSÆ.

Carbonas potassae puriss. Ph. Edinb. Kali praeparatum. Ph. Lond. Kali carbonicum Ph. Bor. Cineres clavellati depurati Ph. Ross. Sal tartari.

Поташъ чистый.

R. Supertartratis Potassae quantum lubet.

Portiones hujus salis, charta aqua humecta obvoluti, ardentibus circumda carbonibus, ut calcinentur. Cineres residui in destillata solvantur aqua, et liquor colatus, sub jugi motu, ad siccitatem evaporet.

V. Antacida, mucum, gelatinamque solvens, diuretica.

Us. Morbi e primarum viarum acido, uti etiam venena quædam corporibus nostris inserta, puta: Murias Hydrargyri oxydatus, Acidum Arsenicosum; infarctus glandularum mesenterii mucosi, infantum atrophia ex eadem causa, rachitis, lithiasis, psora etc.

Extus: forma balnei, fotus, lotionis, etc. tumor glandularum ex lacte, aliisque causis, orchiocele scirrhosa, tinea, herpes.

Ad parandum *Subcarbon. potass. liquid.* — inservit, ut et, *Aq. supercarbon. potass.* —

Haust. acid. carbonic. evolv. — Inf. Chamom. c. subcarbon. potass. — Inf. Rhej p. — Mist. F. Ammon. comp. — Mist. subcarb. potass. — Mur. potass. oxygen. — Sap. terebinth. — Solut. arsenit. potassae. — Sulphat. potassae. — Hydrosulphuret. potassae.

SUB-CARBONAS POTASSÆ LIQUIDUS.

Растворъ винощелочной соли.

Oleum tartari per solutionem Ph. Ross.

R. Subcarbonatis Potassae partem,
Aquae destillatae partes tres. Solve, et filtra.

vel

R. Subcarbonatis Potassae, quantum velis, in loco humido, aeri expone, ut sensim deliquescat.

V. et Us. Subcarbonatis Potassæ.

Dos. Drachma cum Syrupo, et multa aqua dilutus.

SUB-CARBONAS SODÆ.

Carbonas sodae. Ph. Edin. Natron praeparatum Ph. Lond. Soda purificata. Natrum Carbonicum cryst. Ph. Bor. Alcali minerale Ph. Ross.

Сода чистая.

R. Subcarbonatis sodae impuri, quantum lubet, contundito, tum coque ex aqua, donec totus diluatur eadem sal. Haec tandem colata per chartam in ferreo vase vaporet, ut post refrigerationem crystalli concrescant.

V. Antacida, mucum, gelatinam, calculum urocysticum solvens, sudorem lotiumque movens, alvum leniter ducens.

Us. Acidum primarum viarum absorbet, ideo aphthis lactentium præcipue infantum, ut succedaneum Subborati sodæ, opponitur, quæ ubi a gingivis incipientes, palatum totumque os occupant, tum ad uvam faucesque descendunt, atque his obsessis, periculum minitantur, ad purganda hæc ulcera recte datur devorandus. Pustulosis quoque ab eadem causa, aut ficis laborantibus, aut scrofulis, achore, rachitide, etc. imo ad curandas podagras aptus esse censetur, Tode. Venenorum, acria acida continentium, est antidotus celebratissima, quamobrem adversus Muriatem Hydrargyri oxydatum, arsenicosum Acidum,

per cibos, vel potiones corporibus nostris inserta, valens. Nec in infarctibus glandularum mesenterii mucosis, atrophiaque infantum, frustrari fertur. Calculosis, hydropicisque opem fert. Pro psorico quoque habetur.

Extrinsecus: forma balnei, fotus, lotionis etc. tumores glandularum ex lacte, aliisque causis, orchiocele scirrhosa, herpes, tinea, scrofula, ulcera phagedænica etc.

Dos. Auctior, an exigua sit danda, ex ratione quantitatis acidi absorbendi, et ætatis ægri æstimari oportebit; plerumque tamen a quinque ad quindecim grana, usque ad semidrachmam adultioribus dantur, cum cogruis remediorum additamentis, vel in solutione, habita semper soluti ad solvens ratione. Subcarbonas Magnesiæ, vel alii pulveres nulla acida, aut ferentes, aut extricantes, ut Saccharum etc. recte adjunguntur eidem. In pilulis, extracto amaro, debili in primis stomacho, excipitur utiliter; urgentibus autem aphthis solutus ex melle devorandus propinatur, et in lithiasi cum sapone oleoso vices aquæ Supercarbonatis so-

dæ supplet. — Ubi usus ejusdem protrahendus est, ut in lithiasi, infarctu glandularum, et intestinorum, achore, rachitide, et id genus aliis, tum magna cura cavendum, ne dum salutem molimur majori dosi, ægrotis struamus insidias.

Praep. *Aq. miner. acidula. — Aq. miner. sulphurata. — Aq. Supercarbon. sodae. — Carbon. ferri praecipitatus. — Pil. Subcarbonat. sodae.*

SUB-PHOSPHAS CALCIS.

Cornu Cervi ustum.

Frusta cornu Cervi Elaphi ure, donec penitus albescant, deinde tere in pulverem subtilissimum.

Us. Rachitis, etc.

Dos. Scrupulus, cum quinque granis Subcarbonatis sodæ.

Praep. *Oxydum Stibii cum Subphosph. Calcis.*

SUB-SULPHAS CUPRI ET AMMONIÆ.

Cuprum ammoniacum, vel ammoniacale.

Ammoniaretum cupri Ph. Edinb.

Летучещелочная мѣдь.

R. Sulphatis cupri (vulgo Vitriolum coeruleum dicti) partes duas,
Subcarbonatis Ammoniae partes tres.

In vitreo mortario rite subigito, donec effervescentia finita, placide in violaceam

*

coiverint massam, bibula charta obvolvendam, et super lapidem primo cretaceum, tandem calore leni exsiccandam servandamque in vitreo vase bene obturando.

V. Adstringens, antiepileptica.

Dos. A dimidio grano caute ascendendo ad grana quinque.

Praep. *Pilulae Subsulph. cupri et ammon.*

SUCCUS
COCHLEARIÆ OFF. COMPOSITUS.

R. Succi Cochleariae off. bilibram,
.... Veronicae Beccabungae,
.... S. Nasturtii,
.... Fumariae off. singulorum libram,
.... Citri aurantii uncias viginti,
Tincturae Acori Calami selibram. Misce, et cum subsiderint feces, liquorem effundito, et cola.

V. Leniter stimulans, diuretica, antiscorbutica, persæpe alvum leniter sollicitans.

Us. Cachexia, scorbutus.

Dos. Ab uncia ad duas - quatuor, bis terve de die.

SUCCUS SPISSATUS ACONITI NEOMONTANI.

R. Herbae Aconiti n. recentis antequam effloruerit collectae quantum satis, contunde in mortario lapideo, ligneo pistillo, pauxillum aquae adspergendo. Succus dein prelo expressus, absque defecatione in bàlneo aquae, continuo sub finem spathula lignea agitando evaporet ad mellis crassitudinem.

Dos. Granum ad tria. —

Eodem modo paratur:

Succus spissatus Conii maculati *a grano ad tria*,

.... Hyosciami nigri. — *a grano ad quinque* dandus.

SUCCUS V. OXYCOCCI cum NITRATE POTASSÆ.

R. Nitratis Potassae unciam,
Succi V. Oxycocci libram. Misce, solve.

Cui, si libet, duas, vel tres tincturæ A. Calami uncias, utiliter addes.

V. Majoribus in dosibus antiscorbutica.

Us. Scorbutus, dysenteria scorbutica.

Dos. Uncia ad selibram partitis vicibus quotidie. Patterson usque ad libram per diem optato cum successu propinavit. Ubi nauseam, colicos dolores, et oppressionem ventriculi producit, tunc

Camphora a grano ad quatuor singulis dosibus dari-debet. Succus V. Oxycocci, vel fructus Citri m., aceto a Patterson commendato præferri meretur.

Extus etiam lotionis forma, in ecchymosi crurum utilitatem promittit.

SULPHAS POTASSÆ.

Kali vitriolatum Ph. Lond. Kali sulphuricum Ph. Bor. Tartarus vitriolatus Ph. Ross. Соль купоросопоташная, или сѣрно-кислый кали.

R. Acidi sulphurici, aquae sextuplo pondere diluti, quantum lubet.

In amplum vas vitreum infunde, ac gradatim Subcarbonatis potassæ purissimi sextuplo aquæ soluti pondere sufficientem quantitatem ad perfectam acidi saturationem instilla.

Finita effervescentia, liquorem filtra, atque ad crystallisandum seponito.

Commode fit quoque Sulphas potassæ ex residuo post destillatum acidum nitrico-nitrosum, in aqua calida soluto, et Subcarbonate potassæ saturato.

V. Debilitans, resolvens, leniter urinam movens, alvum ducens.

Us. Colluvies primarum viarum, febres inflammatoriæ, splanchemphraxes, hydrops, metastases lacteæ, aurigo etc.

Dos. A viginti granis ad drachmas quinque. Ad solvenda grana triginta uncia caldæ aquæ requiritur; frigidæ vero plus. Aliis quoque auxiliariis, ut C. Jalapæ, Rheo p., adjungitur recte.

Praep. Videsis: *Pulv. C. Ipecacuanhae et Opii*, — *Pulv. C. Jalapae cum Sulphate*, *vel Supertartrate potassae.*

SULPHAS SODÆ.

Sal mirabile Glauberi.

Глауберова соль.

R. Residui post destillationem Acidi muriatici quantum lubet.

Solve in sufficienti quantitate ferventis aquæ, peracta ope Subcarbonatis Sodæ saturatione, filtretur, evaporet, et in frigido loco, ut effingantur crystalli, seponatur, solutione repetita depurandæ.

V. Majoribus in dosibus cathartica; minoribus vero diuretica.

Us. Alvus dura.

Dos. A semuncia ad unciam, et amplius in aqua solutus; si vero fatiscit, di-

midium duntaxat, propositæ quantitatis exhibetur.

Aquam marinam artefactam ingreditur.

SULPHAS ZINCI.

Zincum sulphuricum Ph. Bor. Vitriolum album Ph. Ross. Бѣлый купоросъ.

R. Zinci puri quantum velis,
Acidi sulphurici diluti quantum satis. — Solve.

Solutionem rite filtratam, sub agitatione jugi ad siccitatem evapora. Plerumque apud Goslarienses paratur, et cum raro purum sit, et album, in aqua solvendum, cum Zinco granulato coquendum, filtrandum, et crystallisandum est.

V. Adstringens, diuretica, emetica, antispasmodica.

Us. Hoc remedium diu ab antiquioribus in usum internum tractum est, jamque ætate nostra abiisset in desuetudinem, ni Britannorum encomiis ornatum, revixisset. Continuatum ejusdem in chronicis diarrhœis, et morbo caduco usum, fuisse proficuum commentaria medica Edinburgensium Clinicorum referunt.

Horum suasu a grano ad tria bis terve de die in pulvere, vel misto solum

cum radice Glycyrrhizæ gl., vel Magnesia, vel cum aliis aptis conjuncto datur, duas ponderis sui portiones frigidæ aquæ, ut examussim solvatur, exigit. Solutionem hanc saturatam parvulo cochleari, et mane, et vesperi propinatam in Londinensi epidemica pertussi 1787 anni respondisse, experimenta testantur. Provocandis quoque vomitionibus aptus, præsertim ubi necessitas incidit promptioris, celerisque effectus, scrupulum hoc in casu devorasse sufficit. Communior, receptiorque Sulphatis Zinci usus est *externus* præsertim soluti per modum collyrii, in ophthalmia, collutorii in anginis serosis et aphthis, ARMSTRONG; PLENCK. Injectionis: varix ani, blennorrhœa asthenica, ulcera, et in primis corneæ.

PRAEP. *Sol. Acetat. Zinci. — Sol. Sulphat. Zinci. — Eadem aluminosa.*

SULPHUR SUBLIMATUM.

Flores sulphuris. Сѣрный цвѣтъ.

In commercio prostat.

V. Leniter stimulans, alvum sudoremque movens, antipsorica.

Us. Rheumatalgia in connubio Oxydi stibii hydrosulphurati, et gummi-resinæ Guajaci off. Quarin. Scabies, et in primis retrograda, Weickard. Herpes, Poupart. Hæmorrhoides, Leake. Feminis quibus sanguis per menstrua non respondet, utile, Starke. Dysenteria, Wedekind. Morbi atonici pectoris, Sims, Thilenius. Plica Polonica, Lafontaine. Pro antidoto quoque Acidi arsenicosi, Muriatis hydrargyri oxydati, plumbi, cupri acetatis, habetur; Navier. *Extrinsecus*: per modum unguenti, vel balnei adhibetur.

Dos. Sulphur sublimatum plerumque per se datur, rarius in pilulis, perraro in mistura, idque a granis decem, scrupulo, aliquando usque ad drachmam, aut simpliciter saccharo unitum, aut Supertartrati Potassæ, aut aliis pro re nata, stimulantibus, roborantibus, vel in electuario.

Praep. *Hydrosulphuret. potass.— Pulv. Sulph. subl. comp. — Ung. pic. liquid. et sulph: — Ung. sulphuratum.*

SUPER SULPHAS ALUMINÆ FUSUS.

Alumen ustum.

R. Supersulphatis Aluminae et Potassae quantum vis.

Expone igni in vase ferreo, vel fictili non vitreato, amplo, donec liquescens massa ebullire cesset, atque expulsa sic omni crystallisationis aqua, in massam levem spongiosam convertatur, usui externo servandam.

V. Intense styptica, corrosiva.

Us. *Externe*: hæmorrhagia, supercrescentia ulcera, luxuriantia immunda.

SYRUPUS A. ZINGIBERIS.

R. Radicis A. Zingiberis tritae sescunciam,
Aquae bullientis libras duas,
Sacchari puri libras tres cum semisse.

Radicem macera vase clauso in aqua per viginti quatuor horas, dein colato liquori adde contritum saccharum, ut syrupus fiat.

Syrupus hicce, et aromate suo, et gratia, qua se commendat, ceteris plerisque omnibus, præstat.

Dos. A drachma ad tres.

Praep. *Mist. g. r. Myrrhae ferrata.* — aliæque misturæ, decocturæ, infusiones, pilularumque massæ.

SYRUPUS SCILLÆ MARITIMÆ.

R. Aceti scillitis bilibram,
Sacchari puri libras tres cum semisse.

Postremum solvatur leni calore, ut fiat syrupus.

V. et Us. videsis: Scillam maritimam præparatam.

Dos. Drachma ad tres per se, vel in connubio aliorum.

Misturam scillinam ingrediens.

SYRUPUS SIMPLEX.

R. Aquae fontalis bilibram,
Sacchari libras tres cum semisse.

Misce, et leni cocta igne, cola.

Decocturæ, infusiones, misturæ, haustus, eo edulcorantur, et ad formandas pilularum massas adhibetur.

TARTRAS STIBII ET POTASSÆ.

Antimonium tartarisatum Ph. Lond. Tartris antimonii Ph. Edinb. Tartarus stibiatus Ph. Bor. Tartarus emeticus Ph. Ross. Соль рвотная виносурьмяная.

R. Oxydi Stibii sulphurati (vitri antimonii) in subtilissimum pulverem tenuati uncias duas,
Supertartratis Potassae pulverati uncias quatuor,
Aquae destillatae libras sex.

In vase vitreo per duodecim horas coquito spathula lignea movens. Jactura aquæ

affusione ejusdem nova resarciatur subinde, lixivium hinc ortum, fervidumque filtratum lente ad siccitatem evaporet, et mox massa pulveranda in vitreo vase sicco servetur.

V. Emetica, interdum cathartica; refracta dosi nauseam, lotium, sudorem movens, spasmos sedans.

Us. Præsertim in febribus biliosis, putridisque antiquitus dictis, aliisque morbis, ubi nevroblacia quædam observatur, concussioque corporis e re fore censetur, exhiberi solet; hinc eandem ob causam in hydropisi, melancholia, in suffocationibus, devoratis narcoticis venenis, aut a mephyticis exhalationibus ortis, in apoplexia, etc. utilis esse censetur, uti etiam, ubi contenta exinanitione per superiora educi juvat.

Hunc in finem apte cum C. Ipecacuanha, ad vim ejusdem augendam, conjungitur; minus vero commode, ut Marryat vult cum Sulphate Cupri. Ubi alvum ab inferiore simul parte evocari lubet, pauxillum amyli, et Supertartratis Potassæ adjectum prodest. Non ita huic connubio aptus est sulphas Sodæ, aliive Sales neutri

ob decompositionis metum. Cum Muriate Sodæ, ut scite observat LASSONE, aquæ portione mistus, naturam cathartici induit.

Extrinsecus: forma emplastri, solutionis, unguenti, admovetur, ut stimulans, calefaciens, rubefaciens, pustulas producens, et pro re nata, in alvum, ut intestini recti irritans, per modum clysteris subterdari juvat. Unguentum hoc stimulat, resolvit; admota vero, abdomini frictione, provocat vomitiones, imo, adjecto Muriate Hydrargyri oxydulato, in tumoribus, glandularum, jecinoris, testiculorum etc. respondisse experimenta testantur.

In alvum subterdatus, plerumque duxit eandem, subinde vomitum movit, et tum in herniis incarceratis, et arthritide intestinali, profuisse fertur. Ulcera rebellia, supercrescentia, recte resperguntur pulvere ejusdem. Solutio, vix tantam in curandis ophthalmiis, et maculis corneæ promittit utilitatem, quanta a quibusdam prædicatur; commendatur etiam pro balneis ablutionibusque; si fortior erit, verrucas venereas, egregie eradicat.

DOS. An ad vomitum ciendum auctior, aut exigua sit propinanda, ex ratione æta-

tis, irritabilitatis, etc. æstimari oportebit, in anniculis ab una quarta grani parte, ad dimidium ejusdem; bimulis, vel trimulis a dimidio grani ad integrum; ætate majori usque ad octennem, fortioris habitus, a grano ad sesquigranum; adultis demum a duobus ad tria grana, in totidem unciis aquæ soluta, cochleari pro re nata, majori, vel minori, omni quadrante, vel semihora, donec vomitum ciet, propinanda.

Si pro varia ægrorum indole, in minori dosi, quam pro vomitione cienda opus sit, præscribatur, tum passim vicario catharticorum munere fungitur; in dosi vero adhuc minori alterantis, antispasmodici, sudifici vices implet, addito præcipue Carbonate calcis; idque a sexta ad tertiam grani Tartratis stibii et potassæ partem, et Carbonatis calcis et Sacchari utriusque granis quinque, tertia, vel quarta quaque hora auctore Fordyce.

Praep. *Pil. Mur. hydr. oxydulati stibiatae.* — *Pulv. Guajaci, et Tartr. Stibii et Potassae.* — *Pulv. vomicus.* — *Sol. Tart. Stib. et Potass.* — *Ung. Tartr. Stib. et Potassae.* — *Vinum Tartr. Stib. et Potassae.* — *Empl. ad strumam.*

TINCTURA ACORI CALAMI.

R. Radicis A Calami sescunciam,
conscissae affunde:
Alcoholis diluti libram.

Vase clauso ad sufficientem extractionem digeratur, tinctura filtretur, usui servanda.

Perraro sola a drachma ad duas, et amplius propinatur, sæpius misturis additur, ut succedanea, exoticis aromaticis majoris dispendii, merito subrogatur.

PRAEP. *Inf. Valerianae.—Succus Cochlear. off.*

TINCTURA AROMATICA.

R. Pulveris aromatici uncias quatuor.
Alcoholis diluti, libras duas cum dimidia.
Digere per septimanam, et cola.

DOS. Drachma ad semunciam.

PRAEP. *Dec. Orchid. M.—Haust. saponac.—Haust. tereb.—Inf. M. Catechu c. Opio.—Inf. Valerian.—Mist. Carb. Calc. comp.—Mist. Cinchon. off.—Mist. F. ammon comp.—Mist. F. Asae foet.—Mist. Subcarbon. Magnes.*

TINCTURA CINCHONÆ OFFICINALIS COMPOSITA.

R. Corticis Cinchonae off pulverati uncias sex,
Acori Calami radicis concisae,
Fructus Citri Aurantii immaturi, utriusque semunciam,
Alcoholis diluti libras tres.

Digere per dies septem, et cola.

Dos. Drachma ad tres per se, vel in quovislibet liquido convenienti.

Praep. *Dec. et mist. Cinchonae. — Mist. Myrrhae ferrata.*

TINCTURA CONORUM HUMULI LUPULI.

R. Pulveris conorum Humuli Lupuli unciam, Alcoholis diluti selibram. Digere per dies octo, et cola.

Dos. Guttæ triginta ad quadraginta, (vel deficiente hac tinctura) exhibe:

Pulveris conorum Humuli Lupuli grana tria, hora decubitus, superbibendo succi Citri medicae, vel acidi acetici impuri cochlear.
Iisdem virtutibus gaudet, ut Opium.

TINCTURA DIGITALIS PURPUREÆ.

R. Foliorum recentium Digitalis purpureae unciam,
Alcoholis diluti uncias octo.

Misce, et digere leni calore per dies septem, dein tincturam per chartam cola,

MACLEAN. Hujus guttæ quindecim ad viginti, foliorum grano æquiparabiles.

DOS. Guttæ decem, ascendendo gradatim ad triginta, et amplius ter de die cum uncia aquæ cujuslibet aromaticæ, v. g. Menthæ, vel infusi amari propinantur. Addito succo Citri m. majores quoque doses feruntur.

PRAEP. *Mist. F. Asae foetid.*

vel

R. Foliorum Digitalis purpureae in pulverem crassum tenuat unciam,
Alcoholis diluti uncias quinque.

Digere leni calore per dies septem, dein per chartam colato.

DOS. Guttæ quindecim, viginti, ascendendo ad 90 vel 100 DRAKE.

TINCTURA GENTIANÆ COMPOSITA.

R. Pulveris radicis A. Calami,
.... Gentianae l. utriusque unciam,
Fructuum Citri Aurantii immaturorum,
Pulveris aromatici utriusque drachmam,
Alcoholis diluti libram.

Digere per quatriduum, cola, et servato. TINCTURAE WHYTTII subpar, e privatis obtentæ officinis.

Dos. A semidrachma ad duas drachmas commode datur.

TINCTURA GUMMI-RESINÆ GUAJACI.

R. Gummi-resinae Guajaci off. libram,
Alcoholis diluti libras duas cum semisse.

Digere per dies septem, et per chartam cola.

Us. Rheumatalgia, arthritis, podagra.

Dos. A drachma ad tres, bis terve de die, in quovis idoneo vehiculo.

Praep. *Dec. Cinchonae off.*

TINCTURA GUMMI-RESINÆ GUAJACI AMMONIATA.

R. Gummi-resinae Guajaci off. uncias quatuor,
Alcoholis ammoniati sesquilibram.

Misce, et macera per septimanam in vase bene clauso, et per chartam cola.

Dos. Drachma ad duas, mane, et vesperi e quovis vehiculo, lacte præsertim, vel sero ejusdem.

TINCTURA HYOSCIAMI NIGRI.

R. Foliorum Hyosciami n. siccatorum unciam,
Alcoholis diluti uncias octo.

Digere per dies septem, et per chartam cola.

Tincturæ Opii, medicamentosa virtute, in variis, præsertim externis morbis, vix cedit.

Dos. Guttæ viginti ad sexaginta.

TINCTURA LYTTÆ VESICATORIÆ.

Tinctura Cantharidum.

R. Lyttae vesicatoriae pulveratae semunciam,
Alcoholis diluti libram.

Digere per quatriduum, et per chartam cola.

